



Enchiridion

CONTROVERSARVM, QVAS

Augustanæ Confessionis Theologi
habent cum Calvinianis.

**IN QVO VTRIVSQUE
PARTIS ARGUMENTA CAN-**

*didè proponuntur, & Paralogismi Adversariorum
breuiter ac nervosè, dissolvuntur.*

AUTHORE

M. Luca Osiandro,

Doctoris Lucæ Filio, Pastore
& Superintendente Leobergensis, &
vicinarum Ecclesiarum, in Ducatu
VVirtembergico.

COLOSS. 2.

*Videte, ne quis vos decipiat, per Philosophiam & inanem
Fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum
Elementa Mundi, & non secundum Christum. Quia in
ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Cum gratia & Privilegio Speciali Electoris
Saxonix, ad decennium.

VVITBERGÆ,

*Excusum per Iohann. Schmidt, Sumptibus
Clementis Bergeri, & Zachariæ Schureri, Bibl.
Anno M. DC. VII.*

COPTICUS

VERSLAARDE

IN OVO

PARTE

ALPHON

M. Luca Olandro

Doctoris

& specul

vicar

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

vicar

vicar

vicar

vicar

vicar

vicar

vicar

vicar

vicar

*Illustrissimo Principi ac
Domino,*

**Dn. IOANNI
FRIDERICO, DVCI
VVirtembergico, ac Tecciaco, Comi-
ti Mompelgardensi, Domino in He-
denheim, &c. Domino suo
clementissimo,**

*Gratiam & pacem à Domino nostro
Iesu Christo.*



*Didi, illustrissime
Princeps, Domine cle-
mentissime, ante annum
Enchiridion, Theolo-
gicarum, quas Sancta
nostra Confessio cum Pontificia caterva
habet, controversiarum: in quo, qua po-
tuit brevitate, utriusq; partis argumenta
& rationes collegi, & Paralogsismorum,
ab Adversariis usitatorum, succinctam,
at, (ut spero) solidam Confutationem,
) 2 adjeci*

P R A E F A T I O.

adjeci. Feci id eum in finem potissimum,
ut & Theologiae Studiosi, & Politici,
p̄ij Viri (quibus ad perlegendos prolixos
commentarios, tempus vix suppetit)
haberent quasi Indicem, quo, quæ ad
Veritatis cœlestis confirmationem, &
falsorum dogmatum oppositorum con-
futationem faciunt, breviter in memo-
riam sibi revocare possent. Senti multis
bonis, hunc meum qualemcumq; conatum
non displicuisse: satisfacere tamen me
ad plenum votis illorum potuisse, ex ani-
mo optarem. Ab eo autem tempore,
non destiterunt amici p̄ij & boni me ore
& calamo, ad aliud moliendum Opuscu-
lum, quo pari methodo & brevitatem,
contra Calvinianos, cœlestis Veritas de-
fenderetur, instigare & adhortari. Id
autem egrè (fateor) mihi imponi mu-
nus, sum passus, non ignorans de Articulis,
humanae rationis captum longè supe-
rantibus

P R A E F A T I O.

rantibus, cum Adversarijs, eruitionis
nomine alioquin celebratis, negotium mi-
hi fore: maximè quòd viderem Calvi-
nianum Spiritum technis agere occultis,
quas deprehendere, majoris sit Iudicii &
Experientiae in Theologica Facultate,
quàm quae in meam aetatem aut ingenij
capacitatem cadere potest. Animum
tamen ex aduerso addiderunt, Commen-
tarij excellentissimi nostrae partis clarissi-
morum Theologorum, quibus Adver-
sarij sophismata & commenta, du-
dum (Dei beneficio) ita sunt protrita,
ut qui de novis, argumenta illorum pro-
sternendi modis, sollicitè cogitare velit,
nil nisi actum agere videatur. Accessit
insignis Reverendorum & Clarissimo-
rum meorum Dominorum Praecepto-
rum benevolentia, quam mihi polliceri
fui ausus, ipsos nimirum, absoluto opu-
sculo, mihi non defuturos, sed adhibita

X 3

diligenti

P R A F A T I O.

diligenti censura, de ijs, in quibus falli me
posse contingeret, admonituros esse, quò
Enchiridion hoc emendatiùs in publicum
proaire possit. Dispositis igitur contro-
versis Quæstionibus, in explicandis ijs,
ut plurimum (ubicunq; potui) retentis
verbis sæpè formalibus, vestigia pressi,
Domini D. Chemnitii, Hunnij, Jacobi
Andreae, &c. Formule item Concordiæ:
tùm quòd meliùs sententiam debitam
exprimere meis verbis non potuerim:
cùm quòd sanorum verborum ὑποτύπω-
σις Theologo servare perquam sit neces-
sarium: Ἐὐτὸς δὲ αὖ, ceu Cacodæmon
aliquis strenuè fugienda. Neq; me et-
iam Dominorum Præceptorum meorum
(quorum paulò antè memini) sperata fe-
sellit benevolentia. Posteaquam enim
opusculum hoc absolvi, petij à clarissimis
viris, Ecclesiastici Consistorij Stuttgar-
diani, Dominis Theologis dignissimis,

P R A E F A T I O.

ut Revisionis (ut vocant) labore in se suscepto, mendas, si quæ irrepissent, castigarent: qua in re, illi ingens, & memoria non interlapsurum, in me contulere beneficium. Hisce igitur, quæ narraui, fretus adminiculis, præsens hoc concinnavi & adornavi, breve Enchiridion.

Etsi autem et vel voluisse, in magnis, sat esse debeat; non tamen de futuros scio, qui varia in isto criminatori sint opusculo. Culpabit hic styli duriciem: atqui, Oratorem nunc non ago, neque eloquentiam illiusve leges profiteor: & veritatis oratio (præsertim ubi res in Compendium est redigenda) simplex esse debet. Ille verò, nimiam reprehendet brevitatem: atqui, libri Titulus & Intentio, fusiora non fert: Enchiridion quandoquidem, non Commentarium aliquem scribere receperim: & extant doctissimorum Theologorum Commentariorum amplissimi

P R A E F A T I O.

plissimi, ad quos, illos, qui magis delectantur prolixitate, ablegatos volo. Alius objiciet aetatem adhuc quasi juvenilem, qua discere potius quam docere & scribere me deceret: ei respondeo illud Augustini, me proficiendo scribere, & scribendo proficere: tum neq; me doctis, sed me a farina hominibus scribere, quando quidem doctiores, neq; meis, neq; aliorum scriptis vehementer indigeant. Objiciet alius, gloriam me quaerere, dum mea publicè aliis obtrudam: at quaeso, quam putas me apud Adversarios gloriam parare mihi, quos eo ipso infensos mihi reddo, eos maximè, quos compunctionis spiritu actos, jam antè novi; Haec & alia, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime facile video, mihi parata, & post prioris Enchiridii editionem sensi. Sed quid agam, num pedem propterea revocem? Absit. Recordem sanè

P R A E F A T I O.

sanè æstimo quemcumq;, qui quod audiat
in Mundo Zoilos, Momos, Theonas
esse, non ausit propterea in publicum pro-
dire. Quasi verò, quâ canes percursitant,
hâc mihi transire propterea non licitum
esset. Non solus ego Medicinam contra
hosce homines invenero, neq; mihi sunt
adhuc fabricati forcipes illi, quibus Theo-
ni dentes suos evellam. Illa igitur mit-
tam: & ad rem, ob quam C. T. com-
pellare volui, me conferam.

Absoluto & perfecto huic Opusculo
Patronum dum quæro, pium, veritatis
divinæ amantem, & sese Theologicis o-
peribus & scriptis oblectantem, T. se
obtulit Celsitudo percommodè. Cum
enim hisce ipsis detinerer cogitationibus,
letum accipio nuncium, T. C. ex longin-
qua & diuturna peregrinatione, salvam
& incolumem in Patriam rediisse. Quid
igitur aliud facerem: quæsi vi Patronum

» 5 verbi

PRAEFATIO.

Verbi divini amantem : quærenti resti-
tuitur T. C. hoc ipso tempore ex longin-
quis Regionibus. Gestivit animus T. C.
reduci, de felici reditu, humiliter munu-
sculo aliquo gratulari : munusculum au-
tem aliud, præter hoc ipsum tenue &
exile ad manus non erat : interim vel te-
nue hoc offerendum duxi. Tenue enim
licet sit : tamen id C. T. non ingratum
fore, spem fecit mihi, quòd ab ineunte
ætate pietatis & sinceræ Theologiæ per-
quàm studiosam T. C. fuisse semper, opti-
mè noveram. Hoc igitur Opusculo, T. C.
reducem humiliter excipere, exceptæq;
de incolumi reditu gratulari volui. Ut
igitur T. C. hoc munusculum, clementer
à me suscipiat : meq; meosq; clementi suo
favore, commendatos habere sibi velit,
humillimè peto & obsecro. Eo namque
animo offero, ut si majora, & Principe
digniora mihi ad manus essent, & illa,
quin

P R A E F A T I O.

quin & me ipsum, promptissimè oblatu-
rus essem. Quod superest, Deum Opt.
Max. ardentibus votis invoco, ut T. C.
clementer conservet, & dona hæcenus
collata subinde augeat, ut sicuti heroicis
virtutibus, ita insigni pietate crescat T.
C. quò Ecclesiae & Reipublicae aliquan-
do possit utiliter prodesse, ad gloriam
Dei, & Ecclesiae salutem. Quod faxit
Deus Optimus Maximus, per Filium
suum Iesum Christum, in virtute Spiri-
tus sancti, Amen. Scripsi Leobergae,
20. Augusti, Anno 1603.

C. T.

Subjectissimus &
humilis

M. Lucas Osiander,
Pastor Leobergensis Ec-
clesiae, & Vicinarum Su-
perintendens.

INDEX

INDEX.
CAPITVM ET
QVAESTIONVM
hujus Enchiridij.

CAPVT I.

De verbis Cœnæ Dominicæ.

1. *Vtrum verba Institutionis Cœnæ Dominicæ possint & debeant pro fundamento cause allegari.*
2. *Vtrum verba Institutionis admittant tropum.*
3. *Vtrum verum corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, in Cœna, cum pane & vino, verè & realiter sint presentia.*
4. *Appendix, continens Refutationem Exegedini.*

CAPVT II.

De modo Perceptionis corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna.

1. *Vtrum TANTVM spiritualis Manducatio sit in Cœna Domini statuenda: an verò & oralis.*
2. *Vtrum*

I N D E X.

2. *Vtrum indigni verè manducent corpus Domini, & bibant eius sanguinem.*
3. *Vtrum admittenda sint Particula, I N CVM, SVB PANE, &c.*

C A P V T I I I.

Continens Prolegomena in Controversiam de Persona Christi.

1. *Quid Persona.*
2. *Quid natura.*
3. *λόγος & Christus, ut differant.*
4. *Abstractum & Concretum quid.*
5. *Quid Proprietates & Idiomatica.*
6. *Distinctio trium statuum carnis Christi.*
7. *Propositiones Formulae Concordiae, de hac materia, affirmativa & negativa.*

C A P V T I V.

De unione Personali duarum in Christo naturarum.

1. *Remotio Physicorum unionis modorum.*
2. *Remotio Theologicorum quorundam unionis modorum.*
3. *De.*

I N D E X.

3. *Descriptio Vnionis Personalis.*
4. *Patrum & antiquioris Ecclesie confessiones de Vnione Personali.*
5. *Patrum & antiquioris Ecclesie similia, quibus Vnionem Personalem declararunt.*
6. *De Phrasibus Scripturae, quibus ea Vnionem describit.*

C A P V T V.

Continens de Communicatione naturarum & Idiomatum tractationem generaliore.

1. *De tribus generibus Communicationis.*
2. *De modo factae Communicationis.*
3. *De Reali & Verbali Communicatione.*
4. *Cujusmodi sint Idiomatica illa, quae humanitati Christi communicata sunt: finita ne, an infinita, & divina.*

C A P V T VI.

Continens speciale Communicationis quorundam divinorum Idiomatum Examen.

1. De

INDEX.

1. De Omnipotentia.
2. De Omniscientia.
3. De Sessione ad dexteram Dei.
 1. Quòd dextera Dei non sit certus locus.
 2. Quòd dextera Dei sit divina Ma-iestas & Omnipotentia.
4. De Omnipresentia.
5. De Adoratione carnis Christi.

CAPVT VII.

Continens Prolegomena in materiam de Electione, cum Regulis præliminaribus.

CAPVT VIII.

Continens specialiozem de Electione tractationem.

1. Vtrùm statuendum sit Absolutum Decretum.
2. Vtrùm vocatio sit duplex, seria & simulata; Efficax & inefficax.
3. Vtrùm Christus mortuus sit pro omnium hominum peccatis.
4. Vtrùm

INDEX.

4. *Vtrum Electi possint excidere gratia Dei.*
5. *Quæ sint notæ Electorum.*

CAPVT IX.

Errores Calvinianorum, de Baptismo continens.

1. *De duplicitate Baptismi.*
2. *De Regeneratione in Baptismo.*
3. *De gratia, Vtrum eam Baptismus conferat.*

Enchi.

Enchiridij

CONTR O- VERSIARVM, NOSTRO

HOC SECVLO, AVGVSTANÆ

*Confessionis Theologicis, cum Cal-
vinianis interceden-
tium,*

CAPVT I:

De Cœna Domini nostri Iesu Christi.



N I S T H O C A R T I C V-
lo, vario, sed vafro modo Ad-
versarii veritatem coelestem ob-
scurare nituntur. Cùm enim au-
diunt, sinceram nostram de sacra
Cœna Confessionem, qua veram
& realem corporis & sanguinis
Christi, cum pane & vino bene-
dicto, præsentiam ex verbis Cœnæ Dominicæ, simpli-
ter attruimus: mox, ut hanc evertant piam Confessio-
nem, non uno tantùm, sed variis artificiis rem aggre-
diuntur, adeoque ambiguis agunt consiliis, ut modò
veram præsentiam corporis & sanguinis Christi nega-
re, modò (quasi mutatâ in melius sententia) quàm lu-
cidissimè affirmare & fateri simplicioribus videan-
tur, Prorsusq; Chamæleontem imitantur, de quo Pli-
nius

*Plin. lib. 28.
cap. 3.*

A

nus

nus refert, quòd Colorem certum non habeat, sed pro loci, & vicinorum colorum varietate, alium atque alium colorem ostendat. Pari ratione Calviniani ludunt: Vbi enim res est ipsis cum simplicioribus, quos in suam *Verba Beza* pertrahi posse sperant sententiam, tum Orthodoxo-
Colloq. Mö- rum colorem & confessionem assumunt, & cum ipsis
pelg. pag. 21. loquuntur: Adeò praesentia esse corpus & sanguinem Domini IN COENA, ut praesentiora esse non possent: Et, significationem (quam ipsis introducunt) sacramentalem, minimè nudam esse rerum significatarum externam Repraesentationem, qua Mens tantum
 » admonetur ad id concipiendum, quod sensibus obij-
 » citur; qualis sit imaginum & picturarum usus vulga-
 » ris: sed, quod ad Deum attinet, SEMPER CUM
 » EA CONIUNCTAM ESSE RERUM
 » SIGNIFICATARUM VERAM ANI-
 » MIS NOSTRIS, OBLATAM PRÆBI-
 » TIONE M. Item: Non esse amplius inter nos quaes-
 tionem de vera praesentia corporis & sanguinis Christi: (id enim & apud ipsosmet in nullo esse dubio) sed tantum de MODO praesentiae verae. Quando verò inter suos loquuntur homines: veram & Realem praesentiam corporis & sanguinis Christi in Coena damnant & blasphemant, ac longè aliter pronunciant: tam longè videlicet à consecrato pane & vino in sacra Coena, corpus & sanguinem Christi abesse, quantum supremum caelum, ab infima terra distet. Quin & Institutionis verbis ludunt: nunc ea (sed ad Calvinisticum modulum explicata) acceptantes pro fundamento: nunc verò audacissimè ea ex hoc negotio proscribentes, tanquam sint τὸ κενώμενον, ipsa quaestio, & non norma, secundum quam tota controversia decidi queat: & ita, nunc de verbis, nunc de mente verborum, nunc de Substantia Coenae Dominicae, prout alium atque alium nacti fuerint Auditorem, disputando, non sine furo,

Verba Beza
in Colloq.
Pofiacensi.

Bezae

21

fucio, dimicant. Necessarium igitur est, ut huic Adversariorum lubrico Trivio obviam eatur, ea ratione, ut tres formemus distinctas hac de re quaestiones, ut pius & candidus Lector, in cuiuscunque sententia defensorum Calvinianum incidat, illius Strophas agnoscere, & veritatem contra Adversarium, ex sacra Scriptura tue-ri queat. Primò igitur isthoc capite tantùm tres hasce (tanquam totius negotii basin) tractabimus quaestio-nes. Videlicet.

1. Vtrùm verba Institutionis Coenæ Dominicæ possint & debeant ad tuendam veram, & realem præsentiam, in negotio Coenæ, pro argumento in medium adduci.

2. Vtrùm verba Institutionis tropum admit- tant, nec ne.

3. Vtrùm verum corpus & sanguis Christi in Coena, cum pane & vino, verè & realiter præsentia sint.

Invocato igitur Dei Vnius & Trini auxilio, rem auspicabimur, & primam quaestionem explicabi- mus.

QV AESTIO PRIMA.

Querunt Adversarii, utrùm verba Institutionis, pro fundamento verae & realis presentiae allegari possint, nec ne. Negativam defendunt Adversarii. Nos verò affirmativam tuemur, certò statuente- res, in hac Controversia, tutissimam esse ra- tionem, ut ad Institutionis verba recurra- tur, & ex iis, quid credendum sit, deducatur. Huius nostræ Assertionis ha sunt rationes.

A 2

Quia

I.

Quia immota esse debet, communi omnium sincerorum Ecclesiae Patrum & Doctorum consensu, Regula: qua in negotio de Sacramentis, cuiusque Sacramenti definitio, descriptio, propria, causae, & effectus, & quae circa Sacramenta dicuntur, ex verbis Institutionis, quam propriissime, tanquam genuina & propria sede, desumi debere affirmant. Cui Regulae etiam hucusque nemo sanus sese opposuit.

II.

Ab Exemplo Apostoli Pauli, qui cum videret, apud Corinthios varios inolescere abusus, in Dominicae Coenae administratione, ad illos abusus tollendos, non usus est dictis heterogeneis, & alienis ab hac materia: sed omnes de Coena seculi illius & Ecclesiae eiusdem controversias, ad primam & propriam huius negotii sedem, ad verba Institutionis, prout ea à Domino ipsemet acceperat, revocavit, 1. Cor. 11.

III.

Ecquis ignorat Demonstrativa Argumenta esse deducenda ex iis locis, qui de essentia & substantia rei alicuius docent; sive ut ita dicam, quae ex visceribus & primo immoto rei fundamento desumuntur. Hoc ut praestemus, in praesenti materia, omnino talia loca sunt alleganda, quae sunt de Essentia Coenae Dominicae, qualia sunt verba Institutionis. Aliunde enim, si deducantur, (puta ex loco Ioan. 6. 1. Cor. 10.) quis non videt, eiusmodi argumenta, tanquam ab extraneis locis deducta, inter Argumenta potius probabilia & impertinentia, quam inter propria & propinqua, connumeranda esse?

IV.

A pari idem probatur. 1. Annon enim, contra Pontificios, Scripturam obscuritatis, ambiguitatisque accusantes, ex meditullio S. Scripturae, & dictis inde productis, argumentamur quam rectissime? 2. Et: Si de dicto aliquo Scripturae, vel eius mente quaestio oboriatur, annon commodissime ex dicti ILLIVSMET vocabulis, phrasi, Antecedentibus & Consequentibus veram sententiam

sententiam investigare nos constat? 3. In Jure Civili, cum de Mente Legis, in statu legitimo quaeritur: annon legis verba rectissimè pensitantur? 4. In Testamētis & Codicillis, si ambiguitas obrepat, annon qui Testamentum ipsum diligenter verbo ad verbum ponderat, & literam urget, prudenter agere iudicatur à Jureconsultis?

Contra inferunt Adversarii.

I. Τὸ κεινόμενον, in quavis Disputatione ad propositæ quaestionis probationem, allegari non potest, nisi quis Principii petitionem committere velit. Atqui verba Institutionis sunt τὸ κεινόμενον: quaeritur enim de illorum mente. Ergo ea ad probationem quaestionis motæ de Cæna Domini, allegari non possunt.

Respondeo. 1. Negatur Minor, Non enim ipsa verba, sed sensus genuinus verborum Institutionis, est κεινόμενον, & quaestio illa, circa quam versamur. (nisi Adversarii fortè dicere velint, in quaestione adhuc positum esse, utrum verba à tribus Evangelistis & Apostolo Paulo recensita, sint Institutionis verba, nec ne: quod tamè pudor dicere prohibebit.) 2. Quatuor erga oriuntur termini in hoc Argumento: dum in Maiori Propositione, sumitur vocabulum τὸ κεινόμενον, ea significatione, quæ apud Rhetores & Logicos in usu est: In Minore verò sumitur significatione, Rhetoribus atque Logicis ignota, Sive, in Minore dicit de Mente verborum: in Maiore, περί τῶν ῥητῶν verborum. Nihil ergo sequitur. 3. Et ablegandi sunt Adversarii ad Trivia, ut discant ex Rhetoricis, quid in statu iudiciali legitimo dicatur κεινόμενον, & quomodo Lex (sive litera Legis) & Mēs Legis inter se differant.

Quid sit τὸ κεινόμενον in hisce verbis.

A 3

II. Pau.

II. Paulus (1. Cor. 10.) loquens de Cœna Domini, ex veteris Testamenti typis & Sacramentis argumentatur, & non ex verbis Institutionis. Ergo, non ponit simpliciter fundamentum Cœnæ Dominicæ, in Institutionis verbis.

Respondeo. Negatur Antecedens : quia Pauli Scopus ibi loci non est, probare aut docere, quid sint Novi Testamenti Sacramenta, vel secundum substantiam, vel secundum effectum, sed docere vult, Christianos, malè [vel Idololatricè] viventes, Christiano nomine nihil iuvare : sicuti id olim in Israelitis, ob fornicationem & Idololatriam, &c. in deserto prostratis, manifestum sit. Sed quid hoc ad Explicationem Sacramentorum ?

III. Paulus dicit : Calix benedictionis, cui benedicimus, nōne Communicatio sanguinis Christi est ? &c. Vbi vocabulum Communicationis ponitur, quod in verbis Institutionis non habetur. Ergo aliunde, quàm ex verbis Institutionis Paulus de substantia Cœnæ iudicavit, 1. Corinth. 10.

Respondeo. 1. Si maximè Consequens verum esset : tamen Paulus præsumeretur id ex divina Revelatione habuisse, neque nobis, ut pro libitu idem faceremus, præscriberet. 2. Negatur, Paulum aliunde quàm è verbis Institutionis, hanc præsentia veræ Periphrasin desumpsisse : quia suæ huic Communicationi introductæ, disertis verbis, substruit verba Institutionis à Domino sibi tradita : quod clarius est, quàm ut
negari

negari queat, 1 Cor. 11. 3. Et non sequitur: Vocabulum (Communicationis) his iisdem literis non continetur in verbis Institutionis: Ergo prorsus, & nulla ratione in iis continetur, & aliunde deductum est.

4. Hunc argumentandi modum Adversarii mutua-
ti sunt à Pontificiis & Anabaptistis, qui eodem prorsus
Antecedente præmissio Pædobaptismum in Scriptura
contineri negant. Continetur autem res ipsa, vocabu-
lo (Communicationis) designata, in verbis Institutio-
nis: sicuti id suo loco (quæstione videlicet huius capi-
tis tertia) luculentissimè demonstrabitur.

*VI. Quæ sunt obscura in se, ea in probatio-
nem admitti non possunt. Atqui verba Institu-
tionis Dominicæ Cæne, obscura sunt. Ergo, ea in
hac Disputatione adduci non possunt.*

Respondeo. 1. Negatur Minor Propositio: & fal-
sam eam esse, sequens probabit quæstio. 2. Si maximè
unum atque alterum verbum, phrasive aliquid ob-
scuritatatis haberet: non tamen sequitur omnia verba
Institutionis, sive integram Institutionem esse obscu-
ram. 3. Et cum obscuritatis vocabulum sit ambiguum,
nunc obscuritatem per se, sive rei ipsius: nunc obscuri-
tatem per Accidens, sive ex linguæ peregrinæ ignoran-
tia obortam, quæ linguæ illius cognitione tollitur, si-
gnificans: si maximè Minorem concederemus aliquo-
usque: in Maiori tamen obscuritatem per se, in Mino-
ri per Accidens deprehenderetur: ex quo quatuor fi-
unt termini, & diffluit argumentum. 4. Iterum Ponti-
ficiorum est Artificium, quod ab illis didicerunt Ad-
versarii, quando (sicuti contra perspicuitatem Scriptu-
ræ Papicolæ, ita & Calviniani) contra perspicuitatem
verborum Institutionis ambiguo (obscuritatis) medio
termino concludunt.

*Obscuritatis
ambiguitas.*

A 4

Ver-

V. *Verba figurata non possunt in probationibus habere locum: sed verba Institutionis continent figuras. Ergò in probatione adhiberi non possunt.*

Respondeo. 1. Si minor intelligatur de figuris Rhetoricis, significationem vocabulorum immutantibus, negatur simpliciter. 2. Si intelligatur de figuris Grammaticis Syntacticis, quæ sensum & significationem non immutant: quatuor inveniuntur termini manifestè in Argumento: cùm (Figura) in Maiore, Rhetoricè, ut Tropus, in Minore verò, ut nuda Grammatica figura, sumatur. Vtriusque autem figuræ ratio quantum distet, vel his, qui nuces & arundinem tractant, notum esse potest.

QVÆSTIO SECUNDA.

VTRVVM *verba Institutionis admittant Tropos, aut figuras, necne: & vtrum τὸ ῥητόν verborum Domini servandum.*

Hic ante omnia tenendum, dupliciter sumi figuras: quarum quædam sunt Grammaticæ, quæ naturalem quidem ordinem Constructionis, non autem sensum vocabulorum mutant: Et apud Poetas interdum ratio carminis exigit: interdum in Prosa oratione oriuntur ex alterius cuiusdam linguæ proprietate: ut, cùm in Latina lingua (præsertim in Sacris literis) nunc Græcismos, nunc Hebraismos sonare audimus: quod Paulo in Græca lingua scribenti admodum est usitatum. Et
 hos loquendi modos, Latinus & Græcus Grammaticus

CUS

gus Figuras appellant, si videlicet peregrinæ Constructiones, ad Latinas leges Syntaxeos exigantur: licet in propria lingua Constructio haudquaquam Figurata, sed propriissima, quin & ornata sit. De hisce autem Figuris nobis hac Quæstione Controversia non est. Est autem aliud genus Figurarū, quod vocabulis non (ut prius illud genus) aliam tantummodò Constructionis collocationem, sed novam & translata[m] confert significationem: hoc genus propriè Rhetoricos Tropos appellamus. Et in hoc genere nulla linguæ alicujus proprietatis habetur ratio, sed durat Figura illa & penetrat, ut ita dicam, per omnes, atq; universas linguas. Sic exempli gratia, cum Christus falsos Prophetas Lupos dicit, (Matth. 7.) nihil aliud ex Lupo fit; quàm Lupus, sive ejusmodi Propheta dicatur Hebraicè Zeab, λυκ. & Græce, Latine Lupus, Wolff Germanice, &c. Et de hoc genere Figurarum, de TROPIS RHETORICIS, VOCABULORUM NATIVAM VIM IMMUTANTIBUS, nobis cum Adversariis lis est. Et Ejusmodi quidem Tropos, tanquam nodum in scirpo, quærunt Adversarii in verbis Coenæ. Nos autem, contineri tales Tropos in verbis illis, pernegamus. Nostram autem Negationem sequentibus clarissimis Argumentis probamus.

Quia termini illi, quibus sua adjuncta est Descriptio, Tropum suâ Naturâ, & vi descriptionis antecedentis & subsequenter, respuunt. Talia autem esse institutionis verba, de quibus inter nos controversatur, videlicet, (Hoc est corpus meum, &c. Et: Hic est sanguis meus, &c.) manifestum est.

i. Vocula (HOC) quod de Pane intelligatur, de eoq; corpus Domini prædicetur: docent verba antecedentia hæc: Nocte ea, qua traditus est Jesus, accepit PANEM, benedixit, (scilicet, Pani) fregit (scilicet, panem) deditq; (panem scilicet benedictum &

A s

fra-

I.

fractum) discipulis suis, & ait: Hoc (nimirum, acceptum, benedictum, fractum, datumq;, quod de pane dici audivimus) est corpus meum. Ex qua præcedente annexa subjecti descriptione, manifestè liquet, vocula (HOC) panem denotari, de quo Prædicatum subsequens (corpus videlicet Domini) enunciatur.

2. Vocula [corpus] & ipsa suas habet descriptiones, quibus Tropus eliminatur. Primò enim, addit Christus, vocabulum (MEUM) non igitur aliud Typicum, tropicum, figuratum, aut imaginarium aliquod corpus intelligitur, (tale enim Christus non habuit) sed Christi corpus. Secundò, adduntur hæc verba: Quod [corpus] pro vobis datur: non autem figuratum aut tropicum, sed verum Christi corpus, ex Maria virgine assumptum, pro nobis datum est. Quale igitur corpus pro nobis datum, tale etiam hoc loco intelligitur.

3. In altera Cœnæ specie, vocula [HIC] non figuram aut tropum vini, sed vinum intelligi, neq; ipsi Adversarii dissententur: Et quòd de vino locutus fuerit, verba testantur antecedentia, de accepto calice benedicto & dato, sicuti suprà de pane.

4. Vocula [Sanguis] describitur, primò per vocabulum [MEUS] deinde, ne tropos, figuras, aut typos nobis imaginemur, additur, NOVI Testamenti, in quo figuræ, typi & umbræ finitæ sunt, neq; in NOVO hoc Testamento, locum amplius habere debent. Ergo neq; subjecta, neq; Prædicata, in verbis institutionis, troporum, typorum aut figurarum sunt capacia.

11.

Ex hisce aliud & novum sequetur argumentum, tale: Si tropus, &c. insit in verbis Cœnæ, necesse est, ut aut sit in Subjecto, aut in Prædicato, aut in copula, aut in integra Propositione. Sed in nullo horum inest tropus. Ergo prorsus non est Tropus in verbis institutionis quærendus.

1. In Subjecto non inesse, declaratum est.
2. In Prædicato tropum non esse, itidem monstratum est.
3. In copula Tropum vel P O S S E saltem hæerere, negant omnes, qui Logicas didicerunt artes.
4. In integra Propositione Tropicæ locutioni non datur locus: quia, quod negatur de omnibus partibus, id etiam rectè de toto negatur. Et: neq; Rhetores tropum integræ Orationi concedunt. Carent ergo verba institutionis tropis, typis & figuris.

Quia Cœna Domini Testamentum est & dicitur. III.
Testamenta autem, voluntatem postremam continentia, tropos & figuras non admittunt, sed verba requirunt simplicia, perspicua, nullis involucris tecta. Si ergo hominum Testamenta talia esse præsumuntur, multò certè magis Domini nostri Iesu Christi Testamentum ejusmodi esse à nobis credendum est.

1. Voluisse enim ipsum clarè loqui, non est dubium præsertim morti tam vicinum. Et, sui commemorationem instituentem, necessariò etiam, quid & qualis ea sit aut esse debeat, explicare eum oportuisse.

2. Potuisse eum clare loqui & sine involucris verborum, dubitare impium & blasphemum esset: ipsa nimirum cùm sit Patris Sapientia, & λόγος, sive Verbū, per quod Pater nobis locutus est, Hebr. 1.

Sic & quia non simpliciter Testamentum, sed NOVVM Testamentum, sacra Dominica Cœna dicitur à Christo omninò typi, figuræ & tropi eo ipso excluduntur; Si enim tropos, typos & figuras ex Veteri Testamento in Novum revocare velimus, quid quæso porrò differentia erit inter utrunque Testamentum? Et: annon Vetus & Novum Testamentum inter se confundentur? Cessare autem debuisse in Novo Testamento hujusmodi umbras, & in harum locum res ipsas, [sive cor-

IV.

VE COR-

ve corpus) substitui oportuisse, sequentia dicta probant.

1. Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt UMBRA FUTURORUM: CORPUS AUTEM CHRISTI. Coloss. 2.

2. UMBRAM habens Lex FUTURORUM bonorum, non IPSAM IMAGINEM RERUM. Imago hic autem non pro Figura sumitur, sed umbræ, sive delineationi qualicunq;, res ipsa figurata, opponitur, Heb. 10.

V. Ex Collatione utriusq; Testamenti, ut & Institutionis utriusq; res clarior evadit. Cùm enim Veteris Testamenti inauguratio fieret à Mose, hæc habentur verba: Assumensq; Moses Volumen Foederis, legit audiente populo, qui dixerunt: omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obediens. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: HIC EST SANGVIS FOEDERIS, quod pepigit Dominus, &c. Exod. 24. Hæc autem omnia fuisse exemplaria Verorum: & Christum Novum Testamentum consecrasset, non in significativo sive typico, sed proprio sanguine, Epistola ad Hebræos, collationem utriusque Sanctificationis instituens, pronunciat, Hebr. 9. Hoc igitur est, quod Christus dicit in verbis Institutionis: Hic est Sanguis 1. MEUS, 2. NOVI TESTAMENTI. Qui pro vobis & pro multis effunditur: 3. IN REMISSIONEM PECCATORUM, &c. Quod discrimen utriusq; Sanguinis denuò Epistola ad Hebræos explicat, dicens: Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, &c. Hebræor. 10. Et Christus, non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per PROPRIUM sanguinem introivit, semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Heb. 9. Videmus igitur, qualem sanguinem Christus nobis in
Coena

Cœna sua promittat: PROPRIUM videlicet, & VERVM suum & Novi Testamenti sanguinem, pro nobis fufum, non autem typicum, figuratum, aut significativũ sanguinem. Neq; enim typus cum antitypo, Figura cum re-figurata, Signum cum re signata confundi debent.

Porro unanimis ille consensus Evangelistarum & Pauli in Institutionis descriptione, in rebus & verbis, nobis omnem figurarum suspensionem adimunt: dum non aliter verba Cœnæ Dominicæ referunt, quàm si omnes unã ass. dissent Mensæ Domini, & ex dictantis ore cuncta, syllabatim quasi excepissent. Horum autem verba seorsim sic habent:

VI.

<i>S. Mattheas,</i> Capite 26.	<i>S. Marcus,</i> Capite. 14.	<i>S. Lucas,</i> Cap. 22.	<i>S. Paulus</i> 1. Corinth, 11.
Coenanti- bus autẽ eis, accepit Iesus panẽ, & be- nedixit ac fregit deditq; discipulis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corp9 meũ. Et ac- cipiens Cali- cem, gratias egit & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim san- guis meus,	Et, man- ducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicẽs, fregit, & de- dit eis, & ait: sumite, edite, hoc est corp9 meũ, Et ac- cepto Calice, gratias agẽs, dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est san- guis meus Novi Testa-	Et, acce- pto Pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, di- cẽs: Hoc est corp9 meũ, quod pro vobis datur: hoc facite in meam com- memoratio- nẽ. Simili- ter & Cali- cem, post- quam cœ- navit, dicẽs: Hic est ca- lix Novi	Dominus Iesus, in qua nocte trade- batur, acce- pit panem: & gratias agẽs, fregit & di- xit: accipite & mandu- cate, hoc est corpus, quod pro vobis frã- gitur, hoc fa- cite in meã cõmemora- tionẽ. Simi- liter & cali- cẽ, postquã cœnavit, di- <i>S. Matth.</i>

<i>S. Matthæus,</i> Capite 26.	<i>S. Marcus,</i> Capite. 14.	<i>S. Lucas,</i> Cap. 22.	<i>S. Paulus</i> 1. Corinth, 11.
Novi Testam- menti, qui pro multis effunditur, in remissio- nem pecca- torum.	Testamen- ti, qui pro multis effundetur.	Testamen- tum, in san- guine meo, qui pro vo- bis funde- tur.	cens: Hic ca- lix Novū Te- stamentū est, in meo san- guine. Hoc fa- cite quoties- cūq; biberi- tis in mei cō- mēorationē.

Quòd si aliquis inesse debuisset hisce verbis Tropus aut Figura: cur quæso non vel unus ex quatuor hisce testibus, ea de re nos admonuisset?

VII.

Certum est, neq; Marcum, neq; Lucam, neq; Paulum, sed inter eos, qui Coena verba scripserunt, solum Matthæum, primæ institutioni Coenæ Dominicæ interfuisse: & Paulum ea, quæ de Coena scripsit, ab ipso met Domino, Marcum verò & Lucam, ab Apostolis accepisse. Si igitur de aliquo Tropo, in verbis institutionis latitante, admonenda fuisset Ecclesia, non dubium est, quin Christus Paulo, Apostoli verò Marco & Lucæ, id revelaturi, aut aliam (si opus fuisset) Paulus, Lucas & Marcus, verborum Christi interpretationem allaturi fuissent. Sed quia in horum nullo, quidquam tale reperire licet: cur quæso nos Apostolis & Evangelistis oculatiores esse deberemus?

VIII.

Quia multa incongrua & absurda, erroresque sequuntur, quamprimùm à genuina verborum Christi significatione receditur.

I. Errores sequi, testatur Berengarii hæresis, qui cum recederet à simplici & literali sensu verborum Domini, incidit in damnandam hæresin: de qua lege in Iure Canonico, de Consecr. distinct. 2. cap. 42.

II. Testantur id inconstantes & secum mutuò pugnantes

gnantes Adversariorum interpretationes: & mutua
ob id inflicta vulnera, inter illos, qui semel nativam
vocalorum significationem repudiarunt.

1. Huldricus Zuinglius aggressus est voculam co-
pulativam EST, & convertit eam in SIGNIFI-
CAT.

2. Iohan. OEcolump. videns in copulam Tropū non
cadere, Tropum quæsit in vocula [CORPO-
RIS] figuram corporis Christi illam interpretatus.

3. Andreas Carolstadius, posterioribus duobus vo-
cabulis missis, collocationis ordinem in verbis
Christi invertendum censuit, dicens, Christum,
quasi porrecto digito, corpus suum monstrasse, ut
verborum sensus esse debeat: corpus meū est hoc.

4. Hodierni Calviniani, quasi de priorum sententia
desperantes, corporis vocabulum, Signum &
σχίσμα absentis corporis Dominici ex-
plicant, præterq; nudam quandam signi & signa-
ti [ut loquuntur] relationem imaginariam, nihil in
sacra Coena, de corpore & sanguine Christi resi-
duum nobis faciunt.

5. Schvvenckfeldiani & Anabaptistæ tandem, à ver-
bis recedentes, totam sacræ Coenæ actionem, in
aliam, toto genere diversam, converterunt. Hosce
igitur Labyrinthos diversos enasci inde, dum à
verborum Coenæ nativa significatione receditur,
videntes, recte abhorremus à tropicis & figuratis
explicationibus, dicentes: NOS HÆC VESTI-
GIA TERRENT.

Videmus eos, qui ἀπὸ τῶν ῥητῶν recedunt, ad suæ
opinionis defensionem, tandem in blasphemias voces
erumpere: dum Dei omnipotentiam dimetiuntur, eiq;
hos ponunt limites, ut asserant, DEO SIMPLICI-
TER, SI OMNES DIVINAE SVÆ POTEN-
TIAE NERVOS ADHIBeat [horresco referens]
IMPOS-

IX.

*Petrus Mar-
tyr, in Dia-
logo de O-
mnipre-
sentia,*

IMPOSSIBILE ESSE EFFICERE, VT CORPVS
NATVRALE SIMVL ET SEMEL IN PLVRI-
BVS, QVAM IN VNO TANTVM SIT LOCO.
Quis non ex ungue, quod ajunt, Leonem, & arborem
ex fructu agnosceret demum?

Inveniuntur in sacra Scriptura aliæ etiam Prædi-
cationes, iis, quæ in Coena usurpantur, non multum ab-
similes; quæ tamen, cum possint citra figuras aut tro-
pos verificari; monstrant, & in Coena Prædicationes il-
las citra Figuram aut Tropum verificari posse. Tales
sunt Prædicationes:

1. Spiritus Sanctus est Columba, Matth. 3.
2. Hæc Columba descendens, est Spiritus Sanctus.
3. Filius Dei est homo. Et:
4. Homo est Deus: Sive, Filius Hominis est Filius
Dei viventis, Matth. 16.
5. Verbum caro factum est, Ioan. 1. &c.

Cætera, quia coincidunt, cum tertia quæstione, ibi
liberius tractantur.

Contrà inferunt Adversarii.

*I. Qualiter Prædicationes usitatæ in Sacra-
mentis & Sacrificiis veteris Testamenti expli-
cantur: taliter etiam prædicationes in Sacramen-
tis novi Testamenti usurpatæ, sunt explicandæ.
Sed illæ per typos, & figuras explicantur. Ergo &
hæc nostræ.*

Respondeo. 1. Major negatur, propter magnam
rationis Sacramentorum in Veteri & Novo Testa-
mento diversitatem: quia, ubi manifeste typi ponun-
tur, typorum etiam necessario requiritur figurata ex-
plica-

plicatio Contrarium autem est tenendum, de prædicationibus, quæ typum non modò non continent, sed & typorum in iis adimpletio, atque adeò ipsum habetur antitypum. Nulla igitur est Argumenti connexio: sed potiùs committitur ab Adversariis principii petitio.

II. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne Masculinum, & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum foederis inter me & vos. Gen. 17. Hoc loco Circumcisio dicitur pactum ipsum: & tamen prædicatione ista explicatur per hanc alteram, dum dicitur SIGNUM FOEDERIS. Pariratione etiam verba Cœnæ explicari possunt.

Respondeo. 1. Nondum hucusque Adversarii evicerunt, utriusque Testamenti Sacramentorum parem esse, in prædicationum interpretatione rationem: sed contrarium, tam ex præmissis nostris rationibus, quam ex differentia Veteris & Novi Testamenti constat. Nulla igitur in Præmissis connexio est, sed scopæ dissolutæ. 2. Signum etiam in loco allegato, non significat signum vacuum, & σκετοῦ rei absentis, sed signum, gratiam & foedus obfignans, imò gratiam conferens: ex duplici autem signi significatione, quatuor oriuntur termini.

III. De Agno Paschali dicitur: quoddam sit Phase Domini: Exodi 12. Sicuti igitur agnus non est, sed significat Phase, ita panis Cœnæ, non est, sed significat corpus Domini.

B

Respon-

Zovingli
argumentū
ipsi suggestit
per Monitor
rē, de quo i-
psemet ater
analbus fue-
rit, dubitat.

Respondeo. 1. Repeto distinctionem Novi & Veteris Testamenti, ut in præcedentibus. 2. Agnus erat typus Christi: typus autem ille, in ultima Cœna fuit finitus, & Novum (abrogatis & adimpletis typis) institutum, in quo non amplius umbræ, sed corpus & res ipsæ, sunt præsentia. 3. Neque, si quis diligentius textum inspiciat, hæc Prædicatio (Est enim Phase Domini) simpliciter de A G N O Paschali dicitur: sed ratio à Mose adducitur, certi cuiusdam R I T V S in esu Agni Paschalis observati, videlicet, quare renibus accincti, calceati, baculos tenentes in manibus, & FESTINANTES comedere debuerint Iudæi? quia nimirum Phase erat Domini, sive transitus. Quod igitur de ritu dicit Moses, id perperam Zvvinglius ad ipsum Agnum transtulit.

IV. Petra erat Christus, dicit Paulus, 1. Corinth. 10. Sed sicuti ibi figurata est oratio, ita & in verbis Cœnæ.

Respondeo. 1. Iterum Adversarii Novum & Vetus Testamentum inter sese confundunt. 2. Consequens negatur: quia nulla Connexionis ratio monstrari potest. 3. Cur figuratè accipere cogamur priorem illam (Petra est Christus) Prædicationem, manifesta sunt rationes, Christo videlicet nondum incarnato; & quod alibi Scriptura hanc figuratam orationem uberiorè explicet, Ps. 118. Iesa 28. 1. Pet. 2. De verbis Cœnæ autem nullæ extant eiusmodi causæ. Fallacia ergo committitur causarum.

V. Qualis in sacra Cœnæ sumptione est manducatio: taliter etiam verba Cœnæ, ut ad eam congruant, sunt explicanda. Sed manducatio corporis Christi est Spiritualis. Ergo, &c.

Respondeo

Respondeo. 1. Minor est insufficiens, non enim sola manducatio SPIRITUALIS, sed & Sacramentalis in Coena Domini, quæ fit O R E, intelligitur. 2. Eligitur argumentum desumptum ab insufficiente enumeratione. 3. De spirituali manducatione, suo loco copiosius dicetur.

VI. Disparata de Disparatis cum enunciantur, non nisi per Tropum verificari possunt. Sed in verbis Coenæ Dominicæ, Disparata de Disparatis (panis videlicet de corpore Christi, &c.) enunciantur. Ergo hæc enunciatio, non nisi per Tropum verificatur.

Respondeo. 1. Fit in hoc argumento Transcensio à genere in genus, è genere videlicet Physico, in genus Theologicum, à Naturalibus ad Divina & Supernaturalia: quod vitiosissimum esse in argumentando cunctis Dialecticis notum est. 2. Maior in usitatis naturalibus Prædicationibus, quando in Logicorum Scholæ versamur, vera esse conceditur. Non autem in Prædicationibus inusitatis, quæ Theologiæ propria sunt. Sunt ergo scopæ dissolutæ, & plurium, quàm trium terminorum inconcinna coagmentatio.

VII. Si τὸ εἶναι verborum Christi retineatur: tum sequetur, Panem pro nobis esse traditum, crucifixum, mortuum; & Vinum pro nostris peccatis effusum. Sed posterius est absurdum. Ergo & absurdum est retinere τὸ εἶναι, tanquam huius absurdi causam.

B a

Respon-

Respondeo. 1. Committitur in hoc Argumento Fallacia secundum non causam, ut causam: non enim Retentio τὸ ἴδιον Absurdi consequentis causa est, sed figmentum Adversariorum, qui fingunt, si Tropi in verbis Coenae reiiciantur, nullum alium explicandæ Prædicationis restare modum, quàm Transsubstantiationis (En tibi reliquias Fermenti Pontificii in Theologia Calviniana) ad quem quidem modum supra illatum sequeretur absurdum. Cum autem eum modum nos manifestè reprobemus (sicut utrobique notum) frustra in nos hoc detorquetur telum. 2. Denuò ab insufficiente enumeratione argumentantur Adversarii, dum modos verificandæ Sacramentalis Prædicationis, tantum duos, figuratum, aut Transsubstantiativum producant, tertium autem, qui Sacramentalis est ex Sacramentali rei cœlestis & terrenæ V N I O N E obortus, reticent. Hoc autem posito non est necesse ullum sequi, servato τὸ ἴδιον, absurdum.

VIII. Si verba Institutionis simpliciter, prout sonant, retineantur, locus datur Pontificiæ Transsubstantiationi. Ergo retineri, prout sonant, non debent.

Respondeo. 1. Maior negatur, nec rectè formata est: quæ sic habere deberet: Verba Institutionis Coenæ Dominicæ, non rectè accepta, Transsubstantiationem pariunt Pontificiam. Non enim verborum ἴδιον, sed perversæ explanationes, & discessio à verbis Domini, causa sunt introductæ Transsubstantiationis, Fallaciam igitur Adversarii committunt, secundum non causam, ut causam. 2. Neque necesse est, retentis verbis, delabi ad Transsubstantiationem, cum consimiles Propositiones in S. Scriptura reperiantur, quæ tamè citra Tropum & citra Transsubstantiationem rectissimè explicantur: ut, Deus est homo: Homo est Deus: Columba

Columba hæc est Spiritus Sanctus. Videmus igitur per insufficientiam Enumerationis sæpissime falli Adversarios.

IX. Paulus explicans verba Institutionis (1. Corinth. 10) utitur vocabulo Communicationis. Non ergo censet Paulus τὸ ῥῆμα τῷ ῥῆμα inherendum.

Responleo. 1. Recedere ἀπὸ τῶ ῥῆμα τῷ ῥῆμα verborum & τὸ ῥῆμα ὅν simpliciter explicare, sunt longe diversa. Posterius enim de verbis Pauli concedimus: prius simpliciter negamus. Quatuor igitur fiunt termini, dum explicare verba Institutionis, & ab iisdem recedere, pro uno & eodem habentur termino. 2. Quod autem Paulus non recedat à verbis Domini, manifestum est inde, quod Communicationis vocabulum (quo utitur ipse) res Sacramenti à suis Signis aut Elementis, nō divellat, sed quàm arctissimè copulet; cuius contrarium facere student Tropis suis Adversarii. Nihil igitur præsidii in Paulinis verbis habere possunt.

X. Locutiones inusitatae, modo communi & usitato explicari non possunt. Sed verba Cœnæ (Lutheranis non differentibus) sunt Prædicationes inusitatae. Ergo modo usitato explicari non possunt: sed (per consequens) ad Tropos & Figuratas recurrendum est.

Respondeo. 1. Plus est in Conclusionem, quàm in Præmissis. Nihil enim ampliùs sequitur, quàm, inusitatae Prædicationes, usitato modo non explicari. Quod autem propterea non sit alius, quàm solus Tropicus modus, inusitatae Propositiones explicandi, falsum est manifestè: quia consimiles inusitatae Propositiones (Deus est Homo, & Homo est Deus) sunt & ma-

R 3

nent

nent inusitatae, & sine Tropo ita explicantur, ut interpretatio nec ipsa naturaliter, aut modo Dialecticis usitato sumatur. 2. Aliud est, terminos incomplexos alicuius Propositionis, sumere simpliciter, in nativa significatione; & aliud PRÆDICATIONEM explicare ut inusitatam. Ut cum dico: Verbum caro factum est, Verbum intelligo filium Dei: Carnem, pro toto homine. Sed Prædicatio inusitata est, terminorum usitato modo intellectorem, inusitato modo, Enunciatio. Dum igitur usitatam terminorum per se sumptorum significationem, & terminorum complexorum in propositione, Prædicationem inusitatam confundunt Adversarii: quatuor faciunt in isthoc argumento terminos.

XI. Lutherani nolentes volentes ad Tropos tamen confugiunt, dum Synechdochen, cum Luthero admittunt in verbis Cæne Dominice. Ergo fatentur, à verbis ad Tropos confugiendum.

Respondeo. 1. Lutherus, & qui unam cum ipso profitentur fidem, nequaquam Synechdochen Rhetoricam, qua pars pro toto sumitur, intelligunt, sed Grammaticam Synechdochen, qua per modum loquendi communem, duæ res coniunctim efferuntur. Adversarii autem de Figuris & Tropis Rhetoricis contendunt: hinc autem quatuor exurgunt Termini: ex quibus spontè concidit istud Argumentum.

XII. Si Lutherani censent τὸ ῥῆτὸν retinendum: cur ergo aliis vocabulis, quàm solis iis, quæ in institutionis verbis continentur, uti solent? Quales sunt, vocula, IN, CVM, SVB PANE, &c.

Respon

Respondeo. 1. Hisce vocabulis, neque τὸ φαιδὸν tollimus, neque substantiam Coenæ Dominicæ evacua-
mus, sed veram præsentiam, in verbis Coenæ promif-
sam nobis, ita declaramus, ut palàm fiat, nos neque
Cinglianæ, neque Pontificiæ falsæ doctrinæ in isthoc
articulo subscribere, sed simpliciter verbis Coenæ ha-
bere fidem. 2. Qui veram verborum aliquorum sen-
tentiam, aliis, idem significantibus, verbis paraphra-
sticè explicat, ille nequaquam à verbis ad Tropos
confugisse dici potest. Dum igitur inter se miscent Ad-
versarii, Paraphrasin, & TROPORUM explica-
tionem: denuò per quatuor falsò concludunt termi-
nos.

*XIII. Christus sæpè solitus fuit Tropicis
utilocationibus: ut, Ego sum Vitis vera, Io-
han. 15. Ager est Mundus, Matth. 13. &c.
Ergo & in Coena verba Christi sunt tropice in-
telligenda.*

Respondeo. 1. Probandum est Adversariis, verbis
Coenæ INESSE Tropum, tum demum facilis erit
hec Consequentia: Ergò non secundùm literã sunt in-
telligenda Sed Adversarii ἀνακόλυστα inferūt. Quid
enim hæc ad verba Coenæ Dominicæ, quòd locus Io-
annis 15, & Matth. 13. continet Tropos? Quod de ver-
bis Coenæ nondum est probatum. 2. Sunt puræ particu-
lares propositiones: Quædam (neq; omnia) Christi di-
cta habent Tropos: Hoc (de materia Coenæ) est quod-
dam Christi dictum: Ergo & id continet Tropos. Ex
puris antè particularib; nihil sequitur. 3. Porro, quãdo
Christus per parabolas loquitur, plerunq; Evangelistæ
id notant, vel hisce verbis: Et dixit eis Parabolã: vel:

B 4

Simile

Simile est regnum cœlorum: vel etiam Christi ipsius explicatio sequitur. Nihil autem tale cum inveniatur in verbis Cœnæ, quis non videt quatuor terminos, dum verba Parabolica, & verba Cœnæ clara, eiusdem & unius generis (licet plurimum inter se distent) esse Adversarii reputent.

Zwinglii
argumenta-
tio.

XIV. Litera occidit, Spiritus est, qui vivificat. 2. Cor. 3. Ergo alius quàm literalis sensus inquirendus est in verbis Cœnæ.

Respondeo. 1. Paulus ibi Legem & Evangelion (secundum diversa officia & effectus) inter sese opponit: sed quid hoc ad Sacramentum Cœnæ Dominicæ? Quinque enim hinc oriuntur termini: dum litera, Adversariis verba Cœnæ, seu τὸ φητόν; Paulo autem Legem: Spiritus, Adversariis Tropos, Paulo autem Evangelion significat, quibus adde terminum vivificationis, & sic habes non quatuor modò, sed quinque terminos. 2. Papismus sapit hoc Argumentum: non enim alia ratione Pontificii literalem sensum ex Scriptura, quàm isthoc rancido Argumento, proscribere nituntur. Ut videre est in meo Enchiridio Pontificiarum Controversiarum, cap. 5. obiectione Adversar. 1.

Sæpissime autem deprehendet pius Lector, etsi Calviniani acriter in Pontificios invehantur: quod tamen revera, maiori ex parte, Principia sua & male concludendi methodum, ex Pontificiis hauserint lacunis: idque quoties occurrit, monere volui in hoc opusculo, ne sibi verba dari à Calvinianis patiatur pius Lector, quando audit fulmina torqueri à Calvinianis in Pontificios, cum tamen revera in multis fermento Pontificio adhuc infecti sint.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

De Substantia Cœnæ Do-
minicæ.

*Q*uæritur hoc in loco, utrum in Cœna Do-
 mini, cum Pane & Vino, simul in TER-
 RIS adsit præsens, corpus & sanguis Domi-
 ni nostri Iesu Christi. Hoc negant Adversa-
 rii, Cingliani & Calviniani nullam aliam,
 quàm $\sigma\chi\epsilon\iota\mu\eta\nu$ (soli fidei & menti cognitam)
 præsentiam statuente: Christi videlicet cor-
 pus & sanguinem supra in supremo cælo, fide
 (quâ eò nobis conscendendum sit) quæren-
 dum esse: Panem verò & Vinum, nihil quàm
 relationem quandam ad absentia dona Cor-
 poris & Sanguinis Christi habere, asserentes.
 Nos autem firmiter credimus, in sacra Cœ-
na, corporis & sanguinis Christi realem (non
tamen physicam, localem, rationi humana
comprehensibilem, sed supernaturalem, soli
Deo cognitam) cum Pane & Vino præsentiam
in terris. Et hanc nostram piam Con-
 fessionem in rationibus sequentibus fun-
 damus.

B s

Ubi

I. **CLAS-** Ubi nullus admitti potest Tropus, ibi simpliciter,
SIS quicquid verba ingenuina sua significatione indicant,
Argumento- est accipiendum Sed Tropum non admitti in verbis
rum, quæ Cœnæ; id quæstione præmissa, Sole meridiano clarius
woluntatem, est demonstratum. Ergò simpliciter, quicquid vocabu-
Christi des la verborum illorum nobis promittunt, est accipien-
clarant. dum. Quia autem disertè corporis & sanguinis Chri-
 sti fit mentio; certum est, non Panem solum & Vinum,
 sed & pignora corporis & sanguinis Christi præsentia
 esse.

II. Huc pertinent, quæ priore Quæstione, ex verbis
 Christi fuere producta, de annexis terminorum descri-
 ptionibus: videlicet.

CORPUS.

1. MEUM.

2. QUOD PRO VOBIS DATUR.
ET SANGVIS.

1. MEUS.

2. NOVI TESTAMENTI.

3. QUI EFFUNDITUR.

4. IN REMISSIONEM PECCATO-
RUM.

Quæ de rati-
one veteris
& novi Te-
stamenti di-
ctæ fuerunt,
suprà cap. 1.
q. 2. Rat. 4.
huc etiã, re-
bus sic exi-
gentibus,
transferri
possunt.
2. Joan. 1.

Ergo cum Pane & Vino adest nobis CORPUS
 CHRISTI, QUOD IN CRUCE PEPENDIT,
 ET PRO NOBIS EST TRADITUM IN MOR-
 TEM. ET; SANGVIS JESU CHRISTI, NON
 TYPICUS, SED NOVI TESTAMENTI VERUS,
 PRO NOBIS EFFUSUS, ET SANGVIS, QVO
 A PECCATIS ABLVIMVR ET REPVRGA-
 MVR. Non enim est aliud corpus pro nobis traditum,
 quàm corpus naturale ex Maria assumptum: non ali-
 us, quàm immaculati illius Agni sanguis pro nobis ef-
 fusus, 1. Pet. 1. Et quidem non typici, sed veri Agni Dei
 sanguis.

sanguis. Annon fulmina sunt hæc contra Calvinianam
 οχέσιV, & Cœnæ sacrae Evacuationem?

Accedunt trium Evangelistarum, & Pauli Apo-
 stoli, testimonia; quibus res Sacramenti hujus à Christo
 nobis promissas, in Cœna sacra exhiberi, iisdem propè
 verbis, constanter & uno ore testantur.

Paulus (1. Cor. 10.) in Cœnæ S. mentionem inci-
 dens, communicationis meminit, dicens: Calix bene-
 dictionis, cui benedicimus, nonne communicatio san-
 guinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne par-
 ticipatio corporis Christi est? Vbi verò panis Cœnæ à
 corpore Christi tam longè abesse fingitur, quam longe
 cœlum supremum à terris distat? fane nulla vera com-
 municatio utriusq; relinquatur. Idem & de calice bene-
 dicto intelligendum.

Præbatur idem à reatu impiorum, quem ex Man-
 ducatione corporis Christi in Cœna S. ob indignita-
 tem contrahunt: de quo Paulus dicit, 1. Cor. 11. Qui-
 cunq; māducaverit panem HUNC, & biberit calicem
 DOMINI indigne, reus erit corporis & sanguinis Do-
 mini. Item: Qui manducat, & bibit indigne, judici-
 um sibi manducat & bibit, NON DIJUDICANS
 CORPVS DOMINI. Nisi autem corpus & sanguis
 Domini realiter sint præsentia, quomodo reus fiet indi-
 gnus corporis & sanguinis Domini? Quid opus erit in-
 digno, dijudicatione rerum nec perceptarum, neque
 præsentium? Atque hoc Argumentum eò fortius ur-
 get præsentiam veram corporis & sanguinis; quia ipsi-
 met Adversarii, negare non audent, impios spiritualiter
 corpus Christi non manducare. Cum autem in man-
 ducatione Cœnæ Dominicæ, nihilominus rei fiant cor-
 poris Domini, illud non dijudicando, utiq; aut rei non
 fiant corporis Domini, aut præsentia vera & realis
 corporis & sanguinis Christi cum pane & vino in Cœ-
 na, necessariò concedenda est.

Posita

I I I.

I V.

V.

VI. Posita igitur voluntate Christi, sive quæstione,
 II. CLAS- quòd sit, quam perspicuis verbis ab ipso met, & ab Ev-
 SIS. angelistis declaratam habemus: non nostrum est, soli-
 Argumento- re Potentiam & Majestatem, eamve velle dimetiri:
 rum, a Po- sed simpliciter verbis Christi credere, reliqua autem
 tentia Dei. infinitæ divinæ Omnipotentia committere.

1. Non enim apud Deum impossibile est, OMNE
 verbum, ut Angelus Gabriel docet: Luc. 1.
2. Quoniam ipse (Dominus) dixit, & facta sunt: i-
 pse mandavit, & creata sunt, Psal. 33.
3. Deus potens est OMNIA facere superabundan-
 ter, quàm petimus, AUT INTELLIGIMUS,
 secundum virtutem, quæ operatur in nobis,
 Ephes. 3.
4. Apud Deum OMNIA possibilia sunt, Mat-
 thæi 19.

VII. Maximè autem dubitationes de vera præsentia
 III. CLAS- corporis & sanguinis Christi, nobis eximere debet, Per-
 SIS. sona Christi, Mediatoris nostri, præsentiam suam nobis
 Argumento- disertè promittentis.

Argumento- I. Non enim tantum homo est, sed Deus benedictus
 rum, a personæ & in secula, Rom. 9. quare nihil ei est impossibile.
 attributis II. Verax est: I. Ego sum via, VERITAS, & vita
 Christi. Ioan 14.

2. Non inventus est DOLUS in ore ejus, Esa. 53. 1.
 Pet. 2.

3. Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut
 filius hominis, ut pœniteat eum, Num. 23.

III. Sapiens est: ad ejus sapientiam, si nostram con-
 feramus sapientiam, nulla est. Quod enim stultum est
 Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est
 Dei, fortius est hominibus, I. Cor. 1.

VIII.

Ad humanam Naturam Christi quòd attinet,
 &

& illius veritatem, nihil tamen obstat, quo minus quæ in Cœna promisit, servare & præstare nobis possit. Non enim Christi humana Natura, pariter, sicut nostra Natura est consideranda, utpotè cui supra humanæ Naturæ conditiones, longè excellentiora dona collata sunt, ut infinitis intervallis nos superet, eiq; nihil sit impossibile.

1. Unita est humana Christi caro cum Filio Dei indivisibiliter, & inseparabiliter, in unitatem personæ, quod nulli unquam hominum accidit. Ideoq; :

IV. CLAS-
SIS

*Argumento-
rum, ab u-
nitione, & ad
unionem
consequutis.*

*Unio perso-
nalis.*

1. Supra & extra locorum & distantiarum considerationem facta est hæc unio in λόγῳ: ubi ergo λόγῳ, ibi unitam & præsentissimam etiam habet sibi suam carnem: & hoc etiam modo præsentia ejus à Cœna non excluditur. neque dimensio locorum veræ præsentia obstat.

2. Longè alia ratio est corporis Christi, & nudorum physicorum corporum; dicente Paulo. vide- te, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum ELEMENTA MUNDI, & non secundum Christum. Quia IN IP SO IN- HABITAT OMNIS PLENITUDO DIVI- NITATIS CORPORALITER, Coloss. 2.

Sic Christus humano suo corpore inambulavit aquis, Matthæi. 14. Pertransivit claustra virgi- nea matris: & lapidem sepulchralem obsigna- tum, Matth. 28. Pertransivit & clausas janu- as, Joan. 20. Corpore suo inviolabilis factus, Luc. 4. & 24. Joan. 8. Quod omne nudo nostro & merè physico corpori possibile non est: Christus autem id omne in corpore suo physico prællare potuit.

II. EX

*Communi-
catio Idio-
matum.*

II. Ex hac unione, non nuda aliqua Naturarum Parastasis exorta est, sed consequuta etiam communi-
catio, tam Naturarum, quam earundem Idiomatum, quibus humana Natura divina Idiomata accepit, ra-
tione quorum, in sacra Coena omnipraesentem sese ex-
hibere potest.

1. Pater tradidit Filio omnia in manus, Matth. 11.
Ioan. 13.

2. Data est mihi (inquit Christus) OMNIS
POTESTAS IN COELO ET IN TERRA,
Matth. 28. Constans autem Regula à Patribus
traditur, quòd, quicquid Christus in tempore
acceperit, secundum HUMANAM NATU-
RAM acceperit: nisi quis ad Arianos transire
velit. Data ergo Omnipotentia humanæ na-
turæ, non amplius erit impossibile eam in Coena
Domini praesentem esse posse.

3. Hinc Christus dicit: Ecce ego vobiscum sum cun-
ctis diebus, usq; ad consummationem seculi. Ibi-
dem. Concessa autem universali, sive generali O-
mnipraesentia carnis Christi in λόγῳ:
specialem in Coena praesentiam, verbo Institutionis
subnixam, quomodo negare quis possit, non vi-
deo.

*Sessio ad
dexteram
Dei.*

III. Idem etiam evincit sessio ad dexteram Dei.
Cum enim dextera DEI non sit locus certus, sed omni-
potentia & Majestas ipsa divina, (Psalm. 118. & 77.)
quis Christi corpus inclusum diceret in dextera illa,
tanquam certo aliquo loco? Et quia.

Dextera hæc Oceani velocis littora cingit: quis
non praesentiam Christi hominis, universalem & spe-
cialem, multò magis confirmatam, quam everfam, per
sessionem ad dexteram Dei, cerneret?

IX.
V. CLAS-
SIS.

Praesentiae verae & Realis adstruendae fundamen-
tum non contemnendum etiam hoc est, quòd, qui sub-
stantiam

stantiã Cœnæ negant, horribiliter verba Christi, invertere, negare & blasphemare cogantur: quod, ut clarius evadat, Typum antitheticum apponamus.

CHRISTVS.

CALVINISTA.

- | | |
|--|--|
| 1. Hoc est corpus meum. | 1. Christe, ne fallaris: hoc non est corpus tuum. |
| 2. Hoc corpus est pro vobis traditum: sive, in Cœna adest corpus, quod pro vobis est traditum. | 2. Corpus, quod pro nobis traditum est, non adest præsens in Cœna. |
| 3. In calice Cœnæ Dominicæ est sanguis pro vobis effusus. | 3. Sanguis pro nobis effusus non est in calice Cœnæ S. |
| 4. In S. Cœna, vetus Testamentum cum umbris suis cessavit: & est sanguis NOVI Testamenti. | 4. Patres veteris Testamenti, & nos in Novo, una & eadem ratione participes reddimur sanguinis Christi. Et, Sacramentorum in veteri & novo Testamento, eadem (figurata nimirum, aut relativa) ratio est. |
| 5. In Cœna alius adest sanguis, quàm sanguis fœderis veteris Testamenti. | 5. In Cœna Christi sanguis, adest pari ratione, qua in veteri Testamento. |

Videat ergo, & diligenter perpendat quilibet fidelis, quorsum tandem Calvinianus prolabatur Spiritus: & meritò adhorreat à contradictionibus & blasphemis in Filium Dei, & verbum veritatis. Tutissima igitur
ratio

ratio est, ut, quid nos doceat ille, ex cuius ore cœlestis Pater nos dependere voluit, simpliciter audiamus, & cùm audivimus, acquiescamus, neque cum carne & sanguine deliberemus: sed militemus bonam militiam, potentia Dei, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem, extollentem se ad versus SCIENTIAM DEI, & in captivitatem redigentes OMNEM INTELLECTUM, IN OBEDIENTIAM CHRISTI. 2. Corinth. 10. Caventes interim, ne justificetur sapientia à filiis suis, Luc. 7.

Reliqua & plura suo loco de Persona Christi.

Contra inferunt Adversarii.

1. *Physicum verum corpus non potest simul esse, nisi in uno aliquo loco. Sed Christi corpus est verum & naturale corpus. Ergo Christi corpus non potest esse nisi in uno loco. Et per consequens, in Cœna, non potest simul esse in multis locis; multò minus, simul in cœlo & in terra.*

Respondeo. 1. Transcensus fit à genere Physico, in genus Theologicum, quod vitiosum est valde in omni Disputatore, & argumenti nullitatem, vel solum coarguit. 2. Terminorum omnium ferè mira est ambiguitas. (Corpus) in Majore Propositione significat corpus MERE & PURE Physicum TANTUM: in Minore verò, significat corpus Physicum, sed à filio Dei in unitatem Personæ assumptum, divina gloria & Majestate præditum. Item: in Majore loquitur Prædicatio de corpore, proprio suo supposito (ut est res purè naturalis) subsistens: in Minore verò dicitur de
corpo

corpore, aliena, & quidem infinita illocali, & incircumscripta hypostasi subsistens, nimirum in Persona Filii Dei. Adhæc: loquitur Maior de modo alicubi Essendi naturali & circumscriptivo: Nos autem modum Essendi præsentem in Cœna, nunquam constituimus Physicum, localem, aut circumscriptivum, sed illocalem, supernaturalem, cœlestem, spirituales. Non igitur hoc argumentum attingit scopum, sed in scopas dissolutas, ob terminorum multiplicem ambiguitatem, abit.

II. *Omne corpus naturale est visibile. Sed Christi corpus, est corpus naturale. Ergo est visibile. Et per Consequens: quia id in Cœna visibiliter nobis non apparet: neque adesse, credendum est.*

Respondeo. 1. Impingunt hoc Paralogismo Adversarii, quod non distinguunt inter ea, quæ sunt rationis, & quæ sunt fidei. Nobis autem est quæstio de rebus FIDEI. Fides verò est Argumentum RERUM NON APPARENTIUM. & βλεπομένων: *ubi hic visibilia requiritur Apostolus.*

(Hebr. 11.) Denique igitur confusionem Discipularum committunt Adversarii. 2. Iterum argumentantur à nudo & mero homine, ad hominem, qui est Θεάνθρωπος: quatuor ergo miscent terminos. 3. Maior non est simpliciter vera. Nam aer est unum ex quatuor corporibus naturalibus primis, non tamen inter obiecta visus ab Aristotele numeratur. Item: Christus invisibilis factus est, cum Nazaræni præcipitare volebant eum de rupe, Luc. 4. Vt &, cum lapidare volebant eum Iudæi, in Templo, Ioan 8. Et, in Convivio Emahuntico, ἀφαντός ἐγένετο, invisibilis factus dicitur: nec tamen naturale corpus tum deposuit. 4. Admodum præposterè à ratione corporis naturalis,

C

ralis,

ralis, ad rationem corporis glorificati (quod Paulus spirituale vocat, & naturali opponit, 1. Cor. 15.) multò verò absurdius, ad corpus ad dexteram Dei in divinam plenariam Maiestatem collocatum, argumentatur, à baculo videlicet, ad angulum.

III. Si Christi corpus in Coena verè & realiter statuatur praesens: tum sequetur, Christi unicum corpus in tot multiplicari corpora, quot ora sunt communicantium. Sed non datur posterius, ergo nec prius.

Respondeo. 1. Fallacia committitur secundum non causam, ut causam: non enim vera & Realis corporis Christi, sed localis, Physica & circumscriptiva praesentia, multiplicationem corporis Christi introducit. Talem autem praesentiae modum ex nostra parte ne somniavimus quidem: frustra igitur ad modum supernaturalem & illocalem coelestem, hanc falsam Adversarii fingunt consequentiam. Et, quia in vocabulo (praesentiae) ambiguitas notata inest: quatuor habere terminos, in hoc argumentum deprehenditur. 2. Maior etiam in purè naturalibus non semper est vera quòd videlicet omne realiter à plurimis perceptum, in seipso multiplicetur. Intuentur (exempli gratiâ) mille homines Solem unicum totum, nec tamen ob hoc mille sunt Soles. Mille homines unam concionantis orationem percipiunt integram, non tamen ex unica illa, si ve Concione, si ve Oratione mille evadunt Conciones. Instantia igitur prolata, Propositio Adversariorum, non amplius est universalis, sed particularis: ex puris autem particularibus, non est necesse, sequi veram conclusionem.

IV. Chri-

IV. Christus à terra ascendit in cœlum. Proinde non ampliùs, & ne quidem in celebratione Cœnæ Dominicæ, præsens est in terris.

Respondeo, 1. Non tantùm sciendum, Christum ascendisse in cœlum, sed cogitandum & credendum etiam est illud Pauli, quando dicit; ascendit (Christus) **SUPER OMNES, cœlos, ut IMPLERET OMNIA**, Ephes. 4. Ergo omnem loci supergressus est circumscriptionem, neque ascensus Christi in cœlum, Christum loco aliquo constringit, sed cunctis locorum diastematibus & conditionibus eximit. 2. Fallacia committitur Divisionis, dum ascensum Christi à sessione ad dextram Dei divellunt: cum tamen sessio illa & veræ præsentix firmissima causa sit, & loci omnem & dimensionum respiciat considerationem. 3. Quòd autem ascensus in cœlum, non sit causa impedientis veræ & realis præsentix sufficiens, (& ita fallacia causarum committatur) probant Christi in terris, post eius ascensum, Apparitiones: ut cùm Paulo appareret in via versùs Damascum, Act. 9. cùm eidem **IN CASTRIS** aditaret, Act. 23. Visus quoque esset à S. Stephano, Act. 7.

V. Quemadmodum Henoch & Elias in cœlum ascenderunt, neque iam in terris, sed in cœlo sunt: ita & Christus, post ascensum, non ampliùs in terris apud nos est.

Respondeo. Perquam absurdum est hoc Argumentum: quia diversissima inter ascensum Christi, & ascensum Eliæ, & Henochi, in cœlum, diversitas est.

1. Christus est verus Deus & homo: Henoch & Helias homines sunt puri & puti.

C 2

s. In

2. In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & PERSONALITER. In Henoch & Helia Deus habitat tantum per gratiam.

3. Christus ascendit SUPER OMNES COELOS, (Ephes. 4,) excelsior caelis factus, (Heb. 7.) ac COELOS penetravit (Heb. 4) quod de Helia & Henoch dici non potest.

4. Christus confedit ad dexteram Dei, sive ad dexteram virtutis Dei: quod nulli vel Angelorum, vel Sanctorum contigit, Heb. 1.

Quia ergo ascensus huius tanta est differentia, male ab ascensu servi ad ascensum Domini concluditur: & manifeste quatuor introducuntur termini, dum Adversarii res duas, & diversas sub unius termini medi nomine, in medium proferunt.

VI. Christus sedet ad dexteram Dei: sed dextera Dei est locus certus in sublimitate caelorum. Ergo Christus non est in Coena praesens.

Respondeo. 1. Minor negatur simpliciter. 2. Suo loco de dextra Dei, quid tenendum, dicetur. Eo differetur huius Negotii explicatio, ne unum argumentum saepius repetatur.

VII. Qui rediturus dicitur, ante Reditum non adest praesens; Christum autem rediturum ad iudicium, dicunt Angeli, Act. 1. Et Symbolum affirmat Apostolorum. Ergo iam ante illum reditum, ad iudicium, non adest in Coena, &c.

Respondeo. 1. Committitur duplex fallacia, prior est divisionis, quia Concio Angelica truncate adducitur, & ea verba, quae totum negotium explanarent, omit.

omittuntur. Altera & posterior est fallacia, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Non enim Angeli simpliciter de Reditu, quasi omni modo absentis, loquuntur, sed de **MODO MANIFESTATIONIS**, quodque in reditu suo se visibilem præbiturus esset, dicunt. Sic enim habent verba illorum: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, **SIC** veniet, **QUEM ADMODUM VIDISTIS EVNT-TEM IN COELUM**, &c. Visibiliter autem ascendit Christus, & quidem per modum Dispensationis tum visibilis erat. Nihil ergo aliud volunt dicere Angeli, quàm **VISIBILEM REDITUM** fore ad iudicium. Sed quid hoc ad modum impletionis **INVISIBILEM** & incomprehensibilem? 2. Quòd autem reditus Christi, magis modum (visibilem) quàm omnimodam loci mutationem designet, apparet inde, quòd Paulus eundem reditum, non uno in loco appellat apparitionem & manifestationem, 2. Thessal. 1. 2. & 1. Tim. 6. 2. Tim. 4. 1. Corinth. 1. Nihil ergo concluditur.

VIII. Angelus, etiam post Resurrectionem Christi, negat Christum in pluribus, quàm uno loco esse posse, dicens: Surrexit, non est hic, Matth. 28. Ergò, neq; in Cœna adest Christus.

Respondeo. 1. Loquitur Angelus de illo modo præsentia, quem tum mulieres requirebant, videlicet, de modo naturali, & quidem in statu infimæ exinanitionis. Quærebant enim Christum, mortuum, seu corpus eius in sepulchro, ut ungerent illud. Argumentari autem à modo naturali, ad modum, què nos urgemus, Maiestatis, admodum est ineptum & absurdum, fallacia nimirum secundum quid, &c. & Scopæ dissolutæ 2. Et, plus est in Consequenti quàm in Antecedente: Non enim sequitur; Aliquo **MODO** Christus hic non est: Ergò nullo modo hic est.

C 3

Chri-

IX. Christus ipse dicit: Me non semper habetis vobiscum Matth. 26. Ergò in Cœna non est præsens super terram.

Respondeo. 1. Vtrum Christus loquatur simpliciter de sua (quocunque modo sumpra) præsentia, an verò de modo humilitatis, naturali, totus docet contextus, qui sic habet: Pauperes semper habetis vobiscum, & (ut Marcus refert, cap. 14.) cum volueritis, potestis iis benefacere: Me autem non semper vobiscum habetis. Loquitur ergò Christus, de MODO præsentiæ, qualis erat in Statu Exinanitionis, in quo aliorum beneficiis & ope, non semel indigebat Christus. Fallaciam ergò committunt Adversarii, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: & dum Antecedentia & Consequentia semet explicantia, ab invicem diuellunt, Fallaciam quoque Divisionis admittunt. 2. Iterum plus est in consequenti, quàm in antecedenti. Non enim plus sequitur, quàm hoc, Christus dicit: Me non semper habetis vobiscum, modo videlicet visibili, naturali, palpabili. Ergò, aliquo MODO Christus non amplius est vobiscum: modo videlicet illo, qui iam cessavit. 3. Hanc autem de varietate modi, distinctionem nostram valere, probat dictum Christi: Hæc (inquit) locutus sum vobis, cum adhuc vobiscum essem, Luc. 24. Erat autem Christus & tum, cum hæc diceret (videlicet, post Resurrectionem) cum Discipulis, sed non eo modo, quo ante depositam servi formam: ideo (diverso respectu) tum erat, & non erat cum discipulis Christus.

X. Relinquo mundum (dicit Christus) & vado ad Patrem, Ioan. 16. Ergò in Cœna præsens adesse non potest.

Respondeo.

Respondeo. 1. Idem quod in præcedentibus. Quid enim sit mundum relinquere, nimirum, non tantum localis aliquis discessus, sed potissimum pristini status Resumptio, docent verba immediatè hæc antecedentia: Exiui à Patre, & veni in mundum, &c. Ex quibus omninò sequitur qualis sit exitus à Patre, & in mundum hunc adventus: talem etiam esse reditum ad Patrem, & discessum è mundo, videlicet Christum, assumpsisse formam, & statum servilem, in quo oportuit eum conspui, flagris cædi, occidi, &c.) quem Redemptionis opere ad finem deducto, deposuit, & ad Patrem ingressus est, in eam gloriam, quam habuit ab initio: (Ioan. 17) Quatuor ergo sunt in hoc argumento termini: dum exitus Christi à Patre, & reditus ad eundem aliter à Christo intelligitur, aliter à Calvinistis explicatur. 2. Truncata item huius dicti allegatio (ut & in prioribus) & divisionis, & quæ à dicto, secundum quid, dicitur, fallacias introducit.

XI. Petrus dicit: Christum oportet cælo capi, usque in tempora Restitutionis omnium, Act. 3. Cælo ergo Christus iam continetur, quò minùs in in sacra Cæna adesse possit.

Respondeo 1. Hic manifestè sese produnt Calviniani, quod non alium modum ALICVBE ESSENDI, quàm solum localem & circumscriptivum, carni Christi, etiam in Maiestatis gloria tribuant: cum tamen Christus homo, non tantum sit in cælum, sed super omnes cælos, & in λόγῳ (non in loco) personaliter subsistat. Non igitur mirum est, quia circumscriptivum TANTVM agnoscunt modum, ipsos nulla ratione realem Christi præsentiam credere posse.

C 4

2. Quod

2. Quod ad locum Petri fallacia committitur Amphibologiae, dum verbum medium, τὸ δεῖξασθαι videtur utrumque casum, Accusativum videlicet personalem, præcedentem & sequentem Rei, regere posse: quæ tamen Amphibologia ex Constructione facile solvitur. Sic autem habent verba: ὃν δὲ δεῖξασθαι μὲν δεῖξασθαι, &c. Ibi articulus (ὃν) Relativus, respicit præcedentem Accusativum Personæ (τὸν Χριστόν) & construitur cum verbo impersonali (δεῖξασθαι, oportet) hoc aliter resolvi non potest, quàm si dicas: oportet, ut Christus capiat cælum: quod longè aliud, quàm Adversariorum verbio, sonat, & cum Interpretatione Pauli (quem oportet regnare, &c. 1. Corinth. 15.) coincidit. Monstratâ igitur Amphibologiam dissolvitur argumentum.

XII. Præsentem adesse & non adesse, sunt Contradictoria: Sed Lutherani, modo adesse, modo abesse pronunciant corpus Christi. Ergo contradictoria ponunt.

Respondeo. 1. Contradictoria tum dicuntur, quando contraria de uno & eodem dicuntur, tempore eodem, uno & eodem respectu. Nos autem non uno & eodem, sed diverso respectu, de corpore Christi dicimus, id præsens & non præsens esse. Nam, secundum MODUM PERSONALIS UNIONIS, & MAJESTATIS, modum nimirum illocalem, supernaturalem & incircumscriptum, Christi corpus præsens esse dicimus in cælo & in terra. Idem corpus autem secundum MODUM NATURALEM, LOCALEM, CORPORIBVS NATURALIBUS PROPRIE COMPETENTEM, ET MODVM HUMILITATIS, præsens esse negamus.

gamus. Non ergo admittimus aut implicamus contradictionem. Vides ergo quatuor hujus argumenti terminos; dum Contradictoriorum (quæ in hoc argumento, modò verè, modò apparenter Contradictoria significant) ambiguitas aperte monstratur. 2. Data solutio exemplo clarior fit. Deum, modo circumscriptivo & Adversarii adesse creaturis rectè negant: præsentem autem, modo Repletivo concedunt: neque tamen inde ulla nascitur Contradictio.

XIII. Paulus, de Cœna Domini verba faciens, non meminit Realis præsentia, sed solius COMMEMORATIONIS. Commemoratio autem rerum est absentium, 1. Corinth. 11. Ergo Paulus Realem in Cœna non statuit præsentiam.

Respondeo: Si maximè urgeatur vocabulum cōmemorationis, non tamen id semper rem absentem, sed etiam actionem præteritam significat, videlicet mortem & passionem Domini nostri Jesu Christi: quod Paulus innuit, dum vocabulo institutionis Cœnæ postremo (Cōmemorationis statim subjungit: Quotiescunque enim manducabitis Panem hunc, & calicem hunc biberitis, mortem Domini annunciabitis. Quibus verbis, utrùm de ABSENTE corpore Christi, an verò de olim facta redemptione loquatur, Paulus satis diserte seipsum explicat. 2. Prima Cœna præsentem habuit Christum: ideoq; si necesse esset Commemorationis vocabulum, referri ad ABSENS corpus Christi: tum aut negandum erit, Christum in Cœnæ institutione discipulis suis assedisse (contra manifesta historię verba) aut Commemorationis vocabulum, siquidem ad ABSENTIA respiciat) fuisse tum supervacaneum. Sed sicut horum neutrum habet locum: ita vanum est argumentum, à commemoratione Dominicæ passionis,

tionis, ad absentiam corporis & sanguinis Domini in Coena, deductum. 3. Committitur autem hoc loco Fallacia secundum plures Interrogationes: & iterum Fallacia Compositionis, dum duæ Propositiones diversæ, quarum altera de Substantia Coenæ, altera de actu in Coenæ administratione concurrenti loquitur, non servata distinctione debita, inter sese confunduntur.

XIV. Christi corpus præsens in & cum pane statuere, est ex pane Deum facere. Hoc autem faciunt Lutherani.

Respondeo: 1. Falsissimum hoc esse, testantur tum impugnatio Papisticæ Transsubstantiationis, à nostris partibus facta, tum diserta, nostræ sanæ sententiæ explicatio, qua panem non in corpus Christi transmutari, sed cum pane & vino (quæ sunt & manent Substantia panis & vinum) præsens corpus & sanguis Iesu Christi nobis exhiberi docemus. Pontificiis ergo, non nobis, objiciant hoc argumentum Adversarii: alioquin non nostram, sed ex suo ingenio confictam propriam opinionem oppugnabunt.

XV. Si sub specie panis, corpus Domini, sub specie vini, sanguis Domini, præsentia statuatur: tum fit Separatio corporis à sanguine, & vicissim, quod, ut evitetur, vera præsentia neganda est.

Respondeo: 1. Iterum ex Pontificia pharetra petitum telum in nos detorquent Adversarii. Pari namque ratione Pontificii Laicis persuadere volunt, sub panis specie sola ipsis communicandum, & à divulsione corporis & sanguinis Domini argumentantur. Habes residuum fermentum Pontificium in Calviniana doctrina. 3. Nos non dubitamus, Christo perquam facile esse,
corpus

corpus suum nobis præbere & sanguinem: ut tamen non opus sit ei, sanguinem suum, hujus rei gratia, è corpore suo seorsim evacuare 3. Si Christus tantum esset in statu gloriosorum corporum, neq; quicquam majus aut sublimius accepisset: hæc tamen (in glorificatis corporibus) Phantasia Calviniana locum non haberet: multò certè minus in corpore Christi, divina Majestàte plenum.

XVI. Si corpus Domini statuatur verè præsens, multa sequuntur absurda, ut, corpus naturale esse sine dimensionibus; corpus naturale esse in pluribus locis simul, &c. Ergo, corpus Domini in Cæna non est verè præsens.

Respondeo: 1. Hæc absurda, non sunt absurda Fidei, sed Rationis, quæ in Theologia nihil important. Sunt igitur quatuor termini. 2. Fit Transcensus à genere in genus, & mixtio diversarum disciplinarum Physicæ & Theologiæ.

XVII. Corpus finitum, non potest esse simul in pluribus locis. Sed Christi corpus est finitum. Ergo non potest esse simul in pluribus locis: Et per cõsequens, non potest esse in Cæna.

Respondeo. 1. Axioma positum in Majore, loquitur de corpore physico sive pure naturali: nos autem loquimur de corpore, cum Filio Dei in unitatem personæ assumpto, & inseparabiliter unito. Diversitas ergo subjecti, in Physicis & in Theologia, inconveniëntissimam hujus Physici Axiomatis allegationem arguit. 2. Deinde, versamur in Schola Iesu Christi, non Aristotelis: confunduntur ergo disciplinarum genera. 3. In Theologica H A C disputatione huic Axiomati
de fi-

de finito & infinito non dari locum, Fides Christiana irrefragabiliter docet: Nisi enim huic deroges Axiomati, neque incarnatio Filii Dei, aut inhabitatio totius Divinitatis **PLENITUDINIS IN HOMINE CHRISTO**, credi amplius potest (Finitum enim Infiniti, ut Aristoteles docet, non est capax) Nihil ergo ad nos Physica Axiomata, qui versamur in rebus Transcendentibus, & tantis Mysteriis, quæ humanum captum longè superant, & in quæ desiderant Angeli prospicere, 1. Pet 1.

Reliqua [si quæ supersunt] Adversariorum argumenta, in loco, de Omnipræsentia universali, candidus lector quærat; & quæ hoc loco producta non sunt, inde petat. Non enim omnia uno loco tractari possunt; neq; opus est, diversis locis unum & idem argumentum sæpius repeti.

APPENDIX

HUJUS TERTIÆ QUÆSTIONIS, Ex Stephani Szegedini Tabulis desumpta.

Proposueram equidem, pie & candide Lector, hic finem Tertix huic imponere Quæstioni, nisi incidissem in tabulas Szegedini, inter Calvinianos Doctores haud postremi. Illius Tabulas, de Coena Domini, expressè veram & realem in Coena corporis & sanguinis Domini præsentiam impugnantibus cum inspicerem; inveni quidem Szegedinum sub quovis lapide (quod ajunt) Scorpionem quæsisisse, sed mirari satis non potui, virum alioquin insigni eruditione præditum, potuisse in tam absurdas, & magna vi in alienum sensum detortas, verborum institutionis explicatio.

plicationes delabi. Cum autem non ignorem, ipsius locos communes, in magnò apud Theologiæ Studiosos (maxime propter Methodum) haberi pretio: non potui mihi temperare, quin verba ipsius formalia, quibus de substantia Cœnæ Dominicæ agit, huc adscriberem, adjectis breviter [ubi opus videbatur] meis Annotationibus: quò Lector videat, quam infirma & caduca sint Calvinistarum Argumenta, quibus suam opinionem suffulcire nituntur. Cumq; videamus, Adversæ partis Aristarchos in tantas cogi angustias, quid de reliquis cogitandum sit, ætitemus. Addere etiam ob eam volui causam, ne Adversarii, me, M E O P R O P L A C I T O, ipsorum Argumenta informasse, mihi ut potius in rem meam servirent, dicere queant. Audiant igitur Szegedinum (virum & doctum, & non infimæ apud ipsos authoritatis) pro ipsis verba facientem, idq; non meis, sed propriis suis verbis. Ille autem Tabulâ octavâ, de Cœna Domini, pag. 183. sic scribit.

SZEGEDINVS.

Sensus verborum Cœnæ Domini, petendus est à Figura, quæ præcessit (intelligit autem Agnum Paschalem) quam ideò Cœnæ Domini conjungit (scilicet Christus) ut ostendat, veterum & nostra signa (intelligit autem Sacramenta) FERRE paria esse.

OSIANDER.

Quid de his verbis Szegedini sit statuendum, requirat lector, suprâ, hoc eodem capite, *Nota illud, Quæstione Fere. secunda,*

secunda ratione, pro nostra sententia, 4. & 5. & Quæ-
stione eadem, obiect. Adver. 1. 2. & 3. & videbit, cur
adeò ritubentur & suspenso gradu, suum illud (F E-
R E) suæ argumentationi (quippe conscientiaë stimu-
lis permotus) inseruerit. Quæ vocula morbidam
Adversariorum causam prodit: & non sine divini nu-
minis nutu (sicuti olim Caiaphas prophetabat: Ioan:
12) quid de certitudine Calvinianæ doctrinæ in Cœ-
næ hoc negotio statuendum, statim in limine posita
videtur.

SZEGEDINVS.

” *Secundò: Petendus est sensus verborum Do-*
” *mini, ex ipsis Cœnæ Dominicæ vocabulis, quo-*
” *rum singula, singula gignunt argumenta.*

OSIANDER.

Videant hic, quomodo sibi reconcilient Adver-
sarii hodierni suum Szegedinum: qui docent verba
Cœnæ tanquam *κρίνονμενον*, in hac *Controversia*
seponenda: & potius ad caput Ioannis sextum, & Ve-
teris Testamenti typos esse recurrendum. Dum illi di-
spiciunt, nos pergemus.

SZEGEDINVS.

” I. ACCEPTI IESVS PANEM. De
” quo dixit, *Accepit, de eodem dedit Discipulis.*
” Ergo non corpus dedit.

OSI-

OSIANDER.

Malitiose Adversarius verba Coenæ à se invicem divellit. Cum enim scire volumus, quid Christus dederit discipulis, non sufficit audire, quid Christus in manus acceperit; sed adiungendum, quid Christus de hoc pane accepto, fracto & benedicto, discipulis dixerit: videlicet: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, &c. Crassissime igitur peccat adversarius per Fallaciam Divisionis: dum (Anima institutionis seposita) ex verbis Coena vix dum inceptis, de toto Coenæ negotio vult concludere.

SZEGEDINVS.

2. De pane dicitur: **FREGIT EVM-
QUE FRACTVM DEDIT.** Ergo Panem,
non corpus dedit.

OSIANDER.

Idem, quod in priore respondeo. Omittit enim Adversarius ea, quæ nullus omittit Evangelistarum: & quibus verbis neglectis, iam Coenæ administratio, Coena Dominica vocari non potest.

SZEGEDINVS.

3. **ACCIPITE:** De quo dixit: *Accipit, fregit, dedit; de eo Christus dicit, Accipite:*
Et:

4. **COMEDTIE.** Comedere est morsibus consumere, quod de corpore dici non potest.

Item:

Capernaismus.

- » Item: Comedere hominis, non est carnem vocare: hoc enim bestiis non hominibus convenit.
 » Item: Corpus Christi non comeditur corporaliter, neq; igitur accipitur corporaliter. Quod si non accipitur, neque adest corporaliter.

OSIANDER.

1. Vides crassas & Capernaiticas Calvinistarum de manducatione Sacramentali cogitationes, dum præter spirituales carnis Christi manducationem, nullam, nisi illam corporalem & merè naturalem, crassam & Capernaiticam κρεωφαγίαν, agnoscunt. In quo falluntur ex insufficiente enumeratione: dum Sacramentalem (quæ neq; Capernaitica, neq; mera spiritualis est) vel ignorant, vel studiosè obmittunt manducationem. 2. Ludit etiam in vocabulo (Corporaliter) quando enim à nostris interdum hoc vocabulum usurpatur, opponitur id Calviniano præsentia modo fictitio σχετικῶς: neque modum præsentia corporalem, hoc est, qui proprius sit corpori naturali, introducimus. Adversarii autem vocabulum (corporaliter) sumunt, pro naturali, corporis, secundum longum, latum & profundum, præsentia. Nihil ergo sequitur.

SZEGEDINVS.

- » 5. HOC: De Pane intelligitur; non corpore. Corpus enim Prædicatum est: Hoc, Subiectum.

OSIANDER.

(Hoc) voculam, tantum de Pane, & non simul etiam de corpore Christi sumi & dici, falsissimum esse, evincit,

evincit, Græca vocula τῆτο, quæ generis Neutri est, Panis autem vel ἄρτος græcè, generis Masculini: quæ vocula (τῆτο) indicat, Christum, Panem & Corpus suum, tanquam Sacramentali unione devincta, ut unum Sacramentale, efferre voluisse.

S Z E G E D I N V S.

6. Est: Verbum substantivum in expositione cœnæ Parabolicis & Sacramentis, pro significat, cœponitur. Si verò in suo significato relinquatur, cœres ipsa, pro rei figura, usurpatur in Sacramentis. cœ

O S I A N D E R.

Mirum, quot fallaciis scateat hoc sextum argumentum. 1. Dum expositiones Parabolicas cum Sacramentalibus (quasi & hæ meræ Parabolæ essent) coniungit, fallaciam committit secundum plures Interrogationes: quod enim de Parabolis conceditur, id de Sacramentis (multum ab his differentibus) negatur. 2. Etsi de Sacramentis VETERIS TESTAMENTI tropus admittatur: id tamen de Sacramentis NOVI TESTAMENTI non acceptatur. Committit ergo & fallaciam, quæ dicitur principii Petitio, dum incertum pro certo assumit. 3. Quòd ait: Si verò vocula (est) in suo significato relinquatur, &c. hoc probandum prius esset, quàm statuendum. Habes igitur hic alteram principii petitionem. 4. Contra omnes modernos Calvinianos, hic Calvinista tropum suum quærere nititur in copula (est) quod Oecolampadius, Calvinus, Beza, &c. fieri posse negant, & Scholæ rejiciunt Rhetoricæ. Videant Ad-

D

verlaru

versarii utrum Szegedino an Calvino potius ad stipulari velint. Tu verò, pie lector, vides, quorsum vel tandem cogantur excurrere, qui à verbis Filii Dei discedunt.

SZEGEDINVS.

7. *CORPVS: Est, quod videri & tangi potest. Corpus Christi, non videtur in Cœna.*

O SI ANDER.

A non necessariis rei alicuius adiunctis, vel à Proprietatibus, quæ non sunt constitutivæ alicuius essentiæ, non extruitur necessaria conclusio. Quòd autem esse visibilem, in Christi præsertim, Maiestate divina pleno corpore, non sit de necessariis, ad veritatem corporis Christi obtinendâ, propriis, vel adiunctis, dictum est suprâ, cap. i. quæst. 3. obiect. 2.

SZEGEDINVS.

8. *HOC EST CORPVS MEVM:*

Hoc non ad Panem, sed ad Apostolos loquitur. Non est vera prædicatio signati de signo, si propriè accipiatur. Neque enim signum, ut signum, signatum est. Nec vera Prædicatio in individuo de individuo, nisi impropiè, ut, Ioannes est Helias: Hoc est corpus meum.

O SI ANDER.

Multa concurrunt falsa. .i Non sequitur: Christus hæc verba non locutus est ad Panem, sed ad Apostolos Ergo, non potest esse sententia, quòd de Pane intelligi debeant verba. Quia Christus loquens ad Apostolos,

CAP. I. APPENDIX. SI

Rolos, iisdem, quid de hoc pane credendum significare voluit: neque illis, quæ de pane dixerat ad illos, mentitus est. 2. Latet hic Fermentum doctrinæ Pontificiæ: dum ad consecrationem panis & vini fortassè putat adversarius requiri inhalationem verborum Coenæ Magicam, ad panem (ut Pontificii Doctores volunt) si Propositio isthæ verè de pane sit intelligenda. 3. Ambiguitas est in vocabulis Signi & Signati: Adversarius inanità Signa, quæ alias tantùm significativa dicuntur, intelligit, de quibus dici potest, quod improprie accipienda. Nos verò signa intelligimus exhibitiva, cum rebus signatis invisibiliter præsentibus, coniuncta: in quibus nullam impropriam quærere significationem opus est. 4. Quod Signati de signo prædicatio vera non sit, si proprie accipiatur, conceditur: sed in propositionibus usitatis: Nos autem habemus hoc loco Controversiam de Propositionibus inusitatis. 5. Idem de Prædicatione individui, de individuo tenendum. 6. Longissimè inter se disparatæ sunt Propositiones illæ (Ioannes est Elias, & Hoc est corpus meum) neq, quicquam commune, vel in Materia vel in Forma habent. Dum igitur diversissimæ hæ Propositiones pro paribus ab Adversario venditantur, fallacia Compositionis, & fallacia secundum plures interrogationes committitur.

S Z E G E D I N V S.

9. *Christus non dicit: Hoc est corpus meum, quod vobis datur, sed, PRO VOBIS datur, vel frangitur. Fractum verò est corpus, nõ dentibus Apostolorum, sed manibus hostium in cruce.*

O S I A N D E R.

1. Si fractio maximè intelligatur, pro morte & passione Domini (ut Adversarius contendit) annon ex Adversarii verbis necessario sequeretur, id corpus dari in Coena, quod manibus hostium sit fractum: non enim panem, sed verum corpus Christi fractum esse ipse

infert Adversarius? 2. Impudens est cavillum distinguere velle inter id, quod NOBIS, & quod PRO NOBIS datur: Cùm Christus clarissimè pronunciet, se dare nobis, non aliud, quam I D, QVOD PRO NOBIS DATVR.

SZEGEDINVS.

- ” 10. FRANGITVR: Paulus de corpore loquens, proprium Panis illi tribuit, ut significet,
 ” Panem improprie corpus dici.

OSIANDER.

1. Modò dixit Adversarius, fractionem non de pane, sed de corpore dici, (in præcedente argumento) id iam tollit & ipsemet refutat, dū fatetur, Paulum loqui de corpore, quando mentionem facit fractionis. Fractionem autem proprie pani, non corpori convenire. Vide hic spiritum vertiginis 2. Quòd frangi, Panis ita sit proprium, ut non, nisi de Pane, dici possit, negatur. Quia, frangi, Phrasis est Hebræis usitatissima ad omne quod distribuitur; & propter significationem DISTRIBUTIONIS, non improprie, sed propriissimè corpori Christi, in Cœna distributo, applicatur.

SZEGEDINVS.

- ” 11. HOC FACITE: Quid sit (hoc facere) exponit Paulus. Non est enim corpus manducare, in memoriam corporis, sed vesci symbolo, ut memoria Passionis nobis refricetur.

OSIANDER.

1. Quasi verò Christus in præcedentibus non satis, exemplo & voce, quid facere nos velit, explicaverit, dum,

dum, accepit Panem, benedixit, fregit, dedit, & manducare corpus suum iussit: quid ergo nova & quidem inepta quæsitæ explicatione opus est? 2. Neque iubemur corpus in CORPORS, sed in memoriam PASSIONIS & MORTIS Domini manducare. Quod verba docent Pauli: Quotiescunque manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis, &c. 3. Non iubet nos vesci Christus IN VDO symbolo, sed symbolo, cum quo, in & sub quo, verum ipsius corpus, & verus ipsius sanguis nobis porrigitur. 4. Causa finalis, quam Adversarius adfert, veram præsentiam magis urget, quam tollit: longè enim fortius memoria Dominicæ Passionis & mortis imprimitur, cum audimus, nos percipere ILLUD IPSUM CORPUS, pro nobis traditum, & ILLUM IPSUM pro nobis FVSSVM SANGVINEM; quam si ad nuda symbola memoria hæc alligata sit.

SZEGEDINVS.

12. *IN MEI MEMORIA M:* “
Hæc lectio satis monstrat, Panem illum à Subs- “
stantia vel Continentia nomen corporis Christi “
non sortitum; sed Significantia. “

O SIANDER.

1. Christus loquitur de causa finali Coenæ Dominicæ, quæ est, memorare passionem & mortem Domini, fidem inde confirmare, & gratias agere, &c. Confunditur igitur causa Coenæ Dominicæ essentialis cum finali. Unde fallacia causarum, & fallacia secundum plures interrogationes emergit: 2. Quod ait: non à continentia, sed SIGNIFICANTIA, panem sortiri nomen Domini corporis, probandum erat. Committitur igitur & petitio principii.

D 3

SZEGE-

13. **HOC POCVLVM NOVVM
TESTAMENTVM:** Si cognoscas quomo-
do Poculum, Novum Testamentum appelletur:
non ignoras, quomodo etiam Panis sit corpus: Po-
culum enim propriè non est Novum Testamen-
tum, id est Remissio peccatorum, imò ne Sanguis
quidem, quem poculum representat. Testamen-
tum dicitur propriè, sed Testamenti confirmas-
tio, & sicut circumcisio fœdus dicitur, per co-
gnominationem.

OSIANDER.

1. Poculum per Synechdochen dici Novum Te-
stamentum, non imus inficias: orta est autem ea ex He-
braismo, & proprietate illius linguæ. Quomodo autè,
qui linguæ alicuius proprietatem servat, impropriè lo-
cutus dici potest quæso? 2. Quomodo explicanda sit
hæc Synechdoche, vel Phrasis Hebræa, prius erat viden-
dum, quàm ad Propositionem (Hoc est corpus meum)
adaptanda. Explicationem autem nobis disertissimis
verbis, & Paulus ipse, & Evangelistæ proponunt: dum
Paulus & Lucas dicunt: Hic Calix Novum Testamen-
tum IN SANGVINE MEO. Matthæus verò &
Marcus dicunt: HIC EST SANGVIS ME-
VS NOVI TESTAMENTI, &c. Duplicem
igitur Adversarius committit Divisionis Fallaciam,
dum primò, Lucæ & Pauli verba, NON INTE-
GRA, adducit: deinde, reliquorum Evangelistarum
verba, quæ cum hisce coniungenda fuerant, & in qui-
bus vera explicatio reperitur, dolosè omittit. Quia
autem de poculo ita loquuntur Evangelistæ, ut rem-
Sacramenti retineant, manifestum est, hæc, poste-
rioris

fioris partis Dominicæ Cœnæ verba, prioribus de pane, non modo nil incommodare, sed ad genuinam illorum facere interpretationem. 3. Denuo vertiginis spiritum vide in unico hoc argumento. De poculo contradictoria effert Adversarius hæc:

Poculum proprie non est Novum Testamentum. Et:

Poculum, Testamentum dicitur proprie.

Conciliant hoc, si queant, Adversarii. Nos contra videmus, eos, qui semel Το ἕν Τὸν in verbis Cœnæ deserunt, à vertigine in vertiginem circummagi.

S Z E G E D I N V S.

14. *NON BIBAM EX HOC FRUCTU VITIS.* Periphrasis est vini, & significat, non solum vinum esse, quod Christus in poculo præbet: sed simul ostendit, non esse sanguinem, sed id, quod ex vite generatur, non quod ex corpore profluit.

O S I A N D E R.

1. Vino in sacra Cœna, miscendam aquam, Pontificii ex portante hydriam (Marc. 14. Luc. 22.) probare nituntur. Pari artificio Szegedinus ex poculo VALEDICTORIO, ad Cœnam Dominicam, à baculo ad angulum, à primo mobili, ad brassicam, argumentatur: Nihil ergo sequitur. 2. Christus clarissimis verbis docet, se in Cœnæ Dominicæ Sacramento non id solum, quod ex vite generatur, sed simul etiam suum sanguinem nobis exhibere. Hoc est poculum No-

D 4

vi testa-

vi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis effunditur, in remissionem peccatorum.

S Z E G E D I N V S.

15. *MORTEM DOMINI ANNUNCIABITIS.* Quid sit corpus & sanguinem Christi sumere, explicat. Nihil enim est aliud, quam vesci Symbolis, ne memoria mortis Christi ex nostro excidat animo.

O S I A N D E R.

1. Paulus manducationem Sacramentalem hisce verbis haudquaquam, sed causam finalem, & actionem, in Sacramenti recta perceptione concurrentem, explicat: vide de hoc præcedenti Szegedini argumentat. 12.
2. Paulus his verbis describit, quid NOBIS in sumptione Coenæ Domini faciendum, non autem quid Christus cum Pane & Vino exhibeat NOBIS. Fallit igitur Adversarius per pluriū interrogationum compositionem. 3. Si in Coena tantum agatur de memoria mortis Christi, tum Symbolis, imo tota Coena non egebimus: cum per Prædicationem & Lektionem Dominicæ Passionis, quin & per picturas, mors Christi longe fortius, quam per vacua Symbola, nostræ imprimatur memoria. Quod si nudam refractionem Dominicæ passionis in Coena volunt Adversarii, cur non in Ecclesiam revocant missam, cum per illius gesticulationes, & ceremonias, plurimas historię illius partes comice repræsentari, Durandus doceat?

S Z E G E D I N V S.

16. *DONEC VENIAT.* Hæc particula in-

la indicat, hoc sacrum esse Spirituale, non carnale, neque Christum carnaliter adesse. Spiritu enim vere adest, & modo quodam sacris accommodo, qui interim corpore in caelis residet.

OSIANDER.

1. Sacrum hoc neque carnale esse, neq; Christum carnaliter adesse, facile fatemur. Quod autem asserendo sacrum spirituale, & carnale ei opponendo, veram Christi praesentiam se tollere posse putat, fallitur; cum nemo nostrum unquam dixerit, vel scripserit, carnalem Christi in Coena esse praesentiam. Non ergo nostram sententiam, sed proprium cerebri sui figmentum impugnat Adversarius. 2. Neq; merum spirituale [quod solo Spiritu perageretur] sacrum est Coena Domini, sed oralis etiam accedit Manducatio ultra spirituales, ut suo docebitur loco. 3. Quod ait, Christum Spiritu [& modo quodam sacris accommodo] adesse, nugae sunt: Non enim Calvinianorum sententia est, Christum vel spiritu **N O B I S** praesentem, vel **A D N O S** accedere: sed [secundum Calvinianorum phantasias] **N O S** **CHRISTO**, **SPIRITU** **NOSTRO** **PRÆSENTES** **ESSE**, dum imaginatione nostra, nos ad Christum in caelum supremum conscendamus. neq; ille, vel corpore, vel Spiritu suo ad **N O S** descendat. 4. Verba Pauli [donec veniat] nihil de absentia Christi in Coena concludunt, sed docent, quamdiu celebratio Coenae Dominicae in Ecclesia durare & observari debeat: eam videlicet non desituram esse, sed usq; ad extremum mundi diem retinendam.

C

s

SZE.

17. QUOTIESCUNQUE COME-
 RITIS PANEM HUNC, &c. Paulus
 post declarationem, nunquam amplius, vel cor-
 poris, vel sanguinis vocabulum, manducandi &
 bibendi verbis conjungit, sed quotiescunque de
 manducando & bibendo differit, non aliud ad-
 dit, quam panem & vinum. Idq; non sine clas-
 sissima, Articulorum & Demonstratiui Signi
 appositione, panem HUNC, poculum HOC, ac
 discernat hunc cibum, ac poculum, ab aliis. Er-
 go, &c.

OSIANDER.

1. Antecedens non est verum. Mox enim verbis
 suis Paulus subjungit: Quicumque manducaverit Pa-
 nem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit
 CORPORIS & SANGUINIS Domini. Et iterum:
 Qui manducat & bibit indigne, Judicium sibi mandu-
 cat & bibit: non dijudicans CORPUS DOMINI,
 &c. Quod si manducantes & bibentes (indigne) rei
 fiunt CORPORIS, &c. quomodo, quaeso, Paulus porro
 vocabula, manducandi, & corporis: & bibendi, & san-
 guinis Dominici, cum voculis Panis & Vini, non am-
 plius conjungit? 2. Quod ad particulas, HOC &
 HUNC, omnino concedimus iis, discerni cibum hunc,
 & poculum hoc ab aliis: quomodo autem inde sequa-
 tur, corpus Christi non adesse, non videmus. Quin ob
 hoc ipsum, Paulus hunc panem & hoc poculum ab aliis
 discernit, quia corpus & sanguis Domini cum hisce su-
 muntur: & quod indigni, non panis solius, sed corporis
 Domi-

Dominici rei fiant. Si item corpus Domini cum hoc Pane non sit præsens, quid opus erit, CORPUS Domini dijudicare?

Reeententur & alia argumenta ab Adversario, à discretionem Signi & Signati, &c. quæ nihil præter jam positorum Argumentorum nauseabundam continent Repetitionem. Missis igitur illis, ad ea absolvenda, propero, in quibus Author, se ex verbis Cœnæ pugnare gloriatur.

SZEGEDINVS.

18. *A Figuris, quibus verba Cœnæ plena sunt, (absentia corporis Christi in Cœna probatur) unde manifestum est, & hæc verba: (Hoc est corpus meum) figurata esse.* “
“
“
“

OSIANDER.

1. Si maxime quædam verba Cœnæ figurata essent, non tamen statim sequeretur, omnia, & ita etiam, de quibus hic agitur, verba figurate sumenda. Et est argumentatio à puris particularibus, quam à pontificiis hauserunt Calviniani, qui pari ratione Scripturam totam, propter obscuriora paucula quædam dicta, obscuritatis accusant. 2. Esse autem verba Cœnæ Figuris plena, falsissimum est, sicut in sequentibus docebitur.

SZEGEDINVS.

Pascha, pro Agno, Figura est. “

OSIANDER.

1. Pascha non simpliciter Agnum designat, sed tum ipsum Festum, tum solennitates illius Festi, esum Agni, mundiciem, & abstinentiam à Fermentato 2. Edere Pascha,

Pascha, & Coenam instituere, sunt res lōgissime inter se
diversæ. Est ergo probatio ab angulo ad baculum.

SZEGEDINVS.

„ Frangi apud Paulum, figurate, de Christi
„ corpore dicitur.

OSIANDER.

Contrarium, hac ipsa Appendice, object. 9. & 10.
demonstratum est.

SZEGEDINVS.

„ Poculum, pro Vino, Figura est.

OSIANDER.

1. Synechdoche est ex vi constructionis oborta. 2.
Hebraismus, modus est Phræcos, non figura.

SZEGEDINVS.

„ In Luca, & Paulo, cognominatio est, cum
„ inquitur: Hoc Poculum Novum Testamen-
„ tum est.

OSIANDER.

1. Negatur esse cognominatio, sed mos loquendi
Hebræis usitatus & proprius. 2. Vide respons. ad ob-
ject. 13.

SZEGEDINVS.

„ De Fructu Vini: Periphrasis est Vini.

OSI-

OSIANDER.

1. Periphrasis non tollit rei substantiam. 2. Hæc verba pertinent ad poculum valedictorium, non ad Cœnæ verba.

SZEGEDINVS.

Datur: effunditur: Enallage est. Nam præsentia pro mox futuris, ponuntur.

OSIANDER.

1. Nos non pugnamus de Figuris Grammaticis, sed Enallage est Grammatica Figura. 2. i Hebraismus est: uti enim Hebræos Præsenti, Præterito & Futuro, interdum promiscue, notius est, quàm ut probatione indigeat.

SZEGEDINVS.

In Paulo; Panem HVNC, Poculum HOC, Emphasis est.

OSIANDER.

1. Emphasis non est Tropus, nec significationem immutat, sed intendit. 2. En tibi denuò Spiritum vertiginis. Suprà enim argum. 17. vocavit (HVNC & HOC) Articulos & Signa DEMONSTRATIVA. nunc ex Articulis Demonstrativis facit Figuram, Emphasis. Respondeat sibi ipsi Adversarius. Nos Demonstrativos Articulos esse acceptamus.

SZEGEDINVS.

In Marco hystero-logia est. Nam, post Cœnam Dominicam dicitur: Non bibam de fructu vitis.

OSIANDER.

OSIANDER.

1. Si POST Cœnam (iam absolutam) quid ergo dicit, IN VERBIS COENAE esse histerologiam? 2. Hæc verba: (Non bibam amplius) de valedictorio poculo loquuntur, sed quid hoc ad verba Cœnæ: cum institutio Cœnæ, & poculum valedictorium, sint actiones toto genere distantes.

Et huc usq; Stephani Szegedini Argumenta.

Deus bone quis unquam credidisset, virum, alioquin doctum, in verbis Cœnæ explicandis, adeo insulsum & ineptum fieri potuisse. An non hoc est lacere verba Domini, invertere, detorquere, & crinibus, quod aiunt, trahere? Annon igitur (si nulla alia subesset causa) tutius esset, simpliciter verbis Christi credere, quam tot absurditatibus, quin & interdum blasphemis sese involvere? Rogo autem, pius & candidus Lector, hæc omnia diligenter apud animum suum perpendat. Ita enim procul dubio deprehendet, Adversarios fanatico agi spiritu, nostram autem sententiam in verbo Fidei & veritatis, quam firmissimè fundatam esse. Et hæc de tribus, capitis primi, questionibus.

CAPUT II.

De modo Perceptionis Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in Sacra Cœna.

QUANDO Adversarii vident, nullis se artibus posse in verbis Cœnæ, tropis & figuris suis parere locum, neq; amplius præsentiam veram simpliciter negare posse. Mox, ut opinionem semel conceptam, novo fuce tegant, non esse controversiam de

corpo-

corpore & sanguine Christi in Cœna, aut horum præsentia; sed tantum de modo perceptionis, asserunt. Quando autem admodum perceptionis deventum est: ibi præter merè & purè spiritualem corporis Christi manducationem, quæ Fide fit, aliam in Sacramento Cœnæ admittere nolunt: ne veram cum pane & vino, corporis & sanguinis Christi præsentiam statuere cogantur, etiam indignos (quos D. Paulus reos agit corporis & sanguinis Christi) corpus Christi manducare, apertè negant. Et, ne videantur quidquam loci concedere, Veræ & reali præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, mordent & convellunt phrasas illas, ab Orthodoxis Patribus introductas, & è Scriptura mutatas, quibus hoc mysterium aliquo modo declaratur: quando nimirum dicimus, **IN PANE, CVM PANE, SVB PANE**, verum adesse corpus & sanguinem Christi. Has igitur particulas declarativas explodunt. Hoc igitur capite, sequentes tres quæstiones, expeditas dabimus.

I. Vtrum in Sacramento Cœnæ. **TANTVM** sit statuenda spiritualis Manducatio corporis Christi.

II. Vtrum indigni verè manducant cum pane, verum corpus & cum vino bibant verum sanguinem Christi, in Cœna.

III. Vtrum in negotio Cœnæ voculæ Explicativæ, **IN, CVM, SVB**, acceptandæ sint, necne.

QVÆSTIO PRIMA.

IN hac Quæstione non controvertitur, utrum, ad salutarem corporis & sanguinis Domini perceptionem, vel Fides, vel spiritualis Manducatio (quæ **SOLA FIDE** fit) sit necessaria: id enim utrinque in Confesso est.

Sed

Sed quaeritur, utrum Manducatio spiritualis, de qua Christus (Iohan. 6.) agit, & manducatio, quæ fit in Cæna, sit una & eadem. Nos negamus, magnam utriusque Manducationis differentiam monstrantes, & in Sacra Cæna manducationem statuimus Sacramentalem, sive Sacramenti propriam, quæ non fide tantum constat, sed fit ore, ita, ut ore nostro, & panem, & corpus Christi, & vinum, & sanguinem eius simul & unâ percipiamus, edamus & bibamus. Quando autem de hac orali Manducatione verba facimus, non intelligimus Capernaiticam laniam, aut κρεωφαγίαν, vel esum naturalem, aut in ventrem traiectionem, & quæ ad eam consequuntur: Sed ore quidem nostro nos percipere corpus Domini, & sanguinem docemus, modo autem supernaturali, inscrutabili & cælesti, & (si vocabulum dextrè explicetur) spirituali: hoc est, ab omni carnali cogitatione semotissimo. De hoc igitur Manducationis modo pugnamus: talem negant Adversarij, ad solum Spiritualem, qui Fide fit, recurrentes: Nos autem Oralem & Sacramen-

cramen.

eramentalem, ab illo Calvinianorum spiri-
tuali, longissimè distantem, sequentibus ras-
sionibus asserimus.

Quia diverso tempore Christus de utraq; man-
dicatione loquitur, & longo tempore Cœna Domini
sequuta est: non potest utrobique una & eadem intel-
ligi manducatio. Neque loci, Iohan. 6. possunt de Man-
dicatione Sacramentali loqui, Sacramento Cœnæ uti-
que illo tempore nondum instituto.

Quia in Scriptura expressè ita distinguitur utraq;
Manducatio, ut cœcum esse oporteat, qui id discrimen
non videat. Distinguuntur autem.

I. Secundum obiectum: Spiritualis enim Mandu-
catio, virtutem carnis & sanguinis Christi, ratione be-
neficiorum, respicit. Sed Manducatio Sacramentalis,
respicit corpus Christi, ratione substantiæ.

II. Secundum effectum: Manducatio enim spiri-
tualis omnibus prodest ad salutem: Sacramentalis au-
tem quibusdam (scilicet indignis) cedit ad iudicium,
1. Cor. 11.

III. Secundum subalternationem: qua spiritualis
(ad salutem) esse potest, sine Mandicatione Sacramen-
tali: hæc autem sine illa minimè.

IV. Secundum tempus Originis. Spiritualis enim
Manducatio, tam fuit in Veteri, quam in Novo Testa-
mento: sed Sacramentalis cœpit demum **E A NO-
CTE, QVATRADITVS EST IESVS,**
Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

V. Secundum tempus Mandicationis. Spiritualis
locum habet, & esse debet continua, semper, & sine
intermissione. Sed Manducatio Sacramentalis, non est
continua, sed habet sua distincta & certa tempora.

E

1. Te

1. Testantur hoc verba Institutionis : Quotiescunq; biberitis, &c.
2. Item Paulus, de Coena loquens, dicit : Itaq; fratres mei, CUM CONVENITIS, ad manducandum, 1. Cor. 11. Est igitur Coenae Manducatio Actus singularis.

VI. Secundum Personas manducantes. 1. Spiritualis simpliciter necessaria est ad salutem, omnibus personis & ætatibus. (Nisi enim manducaveritis carnem, & Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, Ioh. 6.) Sed Manducatione Sacramentali, possunt carere ii, qui se probare non possunt : ut & infantes. Nisi fortè etiam infantibus Coenam porrigere velint Adversarii. 2. Spiritualis convenit solis creditibus : Sacramentalis autem indifferenter, dignis et indignis, creditibus & hypocritis.

VII. Secundum Instrumentum seu medium. Spiritualis enim sola fit fide : Sacramentalis & ore & fide : puta in recto & debito usu.

III.

Oralem autem esse Manducationem in Coena, probatur clarissimis hisce rationibus.

I. Christus, non tantum de suo corpore, sed etiam de Pane (quem manibus tum tenebat) dixit : Comedite. Panis autem non comeditur spiritualiter, sed oraliter. Ergo oralis à Christo instituitur Manducatio.

II. Paulus dicit : Panis, quem frangimus, nonne Participatio corporis Christi est? 1. Cor. 10. Ex his verbis duæ hæ profiliunt argumentationes.

1. Si Spiritualis in Coena Manducatio intelligatur : tum Panis erit Participatio, non (ut Paulus dicit) CORPORIS, sed virtutis & beneficiorum Christi. Quandoquidem (ut dictum est) spiritualis manducatio, virtutem, non ipsam corporis Christi substantiam respicit.
2. Porrò non PANIS (ut Paulus ait) sed FIDES nostra Participatio erit corporis & sanguinis Christi.

III. Man-

III. Manducatio etiam indignorum, præsupponit necessariò manducationem Oralem. Quia enim rei fiunt CORPORA & SANGVINIS (non figuræ alicuius, aut Relationis) idq̄, non diiudicando CORPUS Domini: sanè hic Reatus ipsis ex spirituali manducatione (utpote quæ omninò indignis non competit) non obtingit. Necesse igitur est alium insuper, in sacra Cœna esse manducationis modum, qui tam dignis, quàm indignis competat: qui non est alius, quàm manducationis modus Sacramentalis Oralis.

IV. Sancti Patres (Irenæus & Tertullianus) inde probant Resurrectionem nostram ad gloriam: quia in Cœna Domini, corpus nostrum cibetur carne Christi, & potetur illius sanguine. Aliam igitur, præter spirituales manducationem, in Cœna ipsos statuisse (quæ Oralis est) negari non potest.

1. Non enim ANIMÆ tantummodò, sed CORPORA nostri cibum dicunt. Spiritualis autem manducatio, soli Animæ, non Corpori, tribui potest.
2. Corpus, non vescitur spiritualiter, corpus enim est, & non Spiritus, & hæc duo sibi opponuntur invicem. Corpus igitur manducat, manducatione sibi competenti, quam Oralem esse manducationem, nemo negare potest.

Contrà inferunt Adversarii.

I. Ioannis sexto capite. Christus loquitur de Manducatione merè spirituali. Ergò & in Cœna alia Manducatio locum non habet.

E 2

Respon-

Respondeo. 1. De Manducatione spirituali Christo sermonem esse, Ioan. 6 nemo dubitat: quod autem Christus de Coena ibi loquatur, negatur simpliciter. Quia Coena Domini tum nondum erat instituta. 2. Et Christus spirituales Manducationem (si maximè, quod tamen non datur, de Coena sua mentionem fecisset ibi loci) non Manducationi Sacramentali, sed Capernaiticæ laniens & Creophagiæ opponit. Coniungunt ergò Adversarii loca Scripturæ longissimè inter se distantia, & nihili cohærentia. Faciunt igitur Argumentum à baculo ad angulum.

II. Semota in Sacra Coena, spirituali Manducatione, & Orali introducta, Capernaitica laniens relinquitur, quæ meritò omnibus piis exorsa esse debet. Sed hoc fit à Lutheranis. Ergò, &c.

Respondeo. 1. Negatur Maior: & fallacia committitur secundum non causam, ut causam Non enim Sacramentalis Oralis Manducatio concessa, sed NATURALIS ORALIS, Capernaiticam laniens introducit. Nos autem excludere Manducationem prorsus naturalem, probè noverunt Adversarii. 2. Neque etiam potest Sacramentalis Oralis Manducatio introducere Capernaiticam laniens, quia corpus Christi, in gloria collocatum, neque amplius moribus & laniens obnoxium est, sed spirituale: quod quidem ore nostro manducamus, sed modo supercœlesti, & (suo modo) spirituali.

Zwinglius. III. Caro non prodest quidquam, Ioan. 6. Ergo spiritualis Manducatio tantummodo in Coena est statuenda.

Respondeo. 1. Sunt quatuor Termini in hoc Argumento. Caro enim in dicto Christi, non significat suam ipsius

ipfius carnem, (quæ utique non prodeft nihil, fed VIVIFICA est, & pretiũ noſtræ Redemptionis) ſed CARNALES CAPERNAITARVM COGITATIONES. Adverſariis autem ſignificat Chriſti carnem, pro nobis cruci affixam & in Cœna ad manducandum datam. Nihil er̄o ſequitur.

IV. Qualis fuit Carnis & Sanguinis Chriſti Manducatio in Veteri Testamento, talis etiam ſit in novo Testamento, necesse est, & in ſpecie in ſacra Cœna. Sed ea fuit merè ſpirituallis. Ergo & in Cœna ſpiritualem tantũ eſſe oportet.

Reſpondeo . 1. Si maior ſolummodò loqueretur de ſpiritualli Manducatione, extra Cœnam Domini, concedi ea poſſet: tantummodò hoc adiecto discrimine: quòd Iudæi in Veteri Testamento, carnem exhibendi, nos autem in Novo Testamento, carnem exhibiti Chriſti manducaremus. Sed quia ad Cœnam Domini applicant: ſimpliciter Maior negatur: quia in Veteri Testamento, Chriſtus ſub typo Agni Paſchalis tantum erat adumbratus: umbram autem illam ceſſaſſe, & corpus in locum ſubſtitutum eſſe, teſtantur verba Inſtitutionis: ubi Chriſtus dicit: Hoc SVM eſſe CORPVS & SANGVINEM NOVI TESTAMENTI. Quantum igitur Novum Teſtamentum à Veteri diſtat: tantum etiam diſtat Manducatio carnis Chriſti ſpirituallis in Veteri Testamento, à Manducatione carnis Chriſti in Cœna ſub Novo Testamento. 2. Magna & non poſtrema errorum Calvinianorum cauſa eſt, quòd (quemadmodum Pontificii inter Legem & Evangelium) ita hi inter Vetus & Novum Teſtamentum, nondum rectè diſcernere didicerunt.

V. Paulus dicit: Omnes eandem escam comederunt, 1. Cor. 10. Sed comederunt Patres illi escam spiritualem, & biberunt potum spiritua- lem. Ergo, & nos in Cœna, non nisi spiritualem escam & potum manducamus & bibimus.

Respondeo. 1. Committitur fallacia à dicto secundum quid, &c. quia, quod Paulus de PATRIBVS dicit, & inter illos, pios & impios, hypocritas & verè fideles collationem instituit: id Adversarii acceptant, quasi inter P A T R E S I L L O S, & N O S, Christianos in Novo Testamento, instituta esset collatio. 2. Paulus apertè dicit: ILLIS IN FIGVRA hæc contigisse: nos autem in Novo Testamento Figuris (re ipsa figurata, nobis exhibita) non amplius indigemus. 3. Neque loqui Paulum, de Manducatione spiri- tuali carnis & sanguinis Christi clarum est.

1. Quia FIGVRÆ (quod idem est, quod typus) utitur vocabulo.
2. Quia loquitur de Manna, quæ non fuit Sacramentum, sed corporis naturalis cibus, sustentationi necessarius.
3. Quia multi, hac pasti esca, prostrati sunt, neque in omnibus Deo beneplacitum fuit. Spiritualis autem carnis & sanguinis Christi manducatio, omnibus manducantibus salutaris est.
4. Quòd esus Mannæ, & potus de Petra, figura fuerint, spiritualis manducationis & potus, & non I P S A S P I R I T V A L I S māducatio, testis nobis est Christus, O M N I E X C E P T I O N E M A I O R. Qui hanc ipsam controversiã hisce verbis explicat: Patres vestri māducaverūt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est Panis de cœlo descendens (priore sc. illo pane figuratus) ut, si quis ex illo manducaverit, nō moriatur, &c. Et Panis quē ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro Mundi vita, Ioh. 6.

Dum

Dum igitur escam spiritualement, & hujus escæ Figuram, Manducationem item figuratam, & Figuram confundunt, quis modo non videt, plurium terminorum, nihil cohærentium, in isthoc argumento coluviam esse?

VI. Atqui verba Pauli urgent Spiritualement Manducationem: dicit enim, unam SPIRITUALEM ESCAM, & unum SPIRITUALEM POTVM. De spirituali ergo agit Manducatione.

Respondeo. 1. Si maxime loqueretur (quod non damus) de spirituali Manducatione: tamen subjiceremus: quid hæc ad Rhombum: & quid hæc ad Cœnam Domini? 2. Vocabulum (spiritualis) ibi non de MANDUCATIONIS modo dicitur, sed opponitur cibo naturali, nostra industria & laboribus parto, ut totus docet contextus, & præallegatæ rationes (in solutione præcedentis argumenti) convincunt.

VII. In spirituali manducatione, corpore & sanguine Christi VERE participamus. Non igitur, ad VERE participandum corpore & sanguine Christi, nova & orali aliqua opus est manducatione.

Respondeo. 1. Hac ratione prorsus neq; Cœnæ Dominicæ institutione opus fuisset, & fecisset Christus, quod æque omittere, sine ullo nostræ fidei detrimento, potuisset. Sed hoc est justificare Sapientiam Dei. 2. Sapit Papismum hoc argumentum, dū ad imitationem Pontificiorum argumentantur. Ubi Pontificii dicunt: in priore Cœnæ specie adest tam verus sanguis Christi, quam corpus ipsius. Quid ergo opus est altera Cœnæ

specie, jam antea in corpore non exanguis percepto, de-
 nuo percipere? Ita pariter Adversarii argumentan-
 tur: Si in manducatione spirituali, verum corpus Do-
 mini manducamus; quid opus est demum orali man-
 ducatione? 3. Non autem sequitur: Spiritualiter
 manducamus. Ergo orali manducatione non indige-
 mus. Ut enim utraq; manducatio à Christo mandata
 est, & instituta: ita, neutra alteram tollit, aut alteri de-
 rogat. Sed, quando fides ad manducandum spiritua-
 liter, languescit, tum illa altera orali reficitur, cum ni-
 mirum, ad firmandam fidem, ore nostro idipsum salu-
 tis pignus accipimus, quod pependit in cruce: & ore
 nostro haurimus sanguinem illum, qui è Christi vulne-
 ribus effluxit. Habet ergo peculiaria beneficia illhæc,
 ea, quæ in Sacramento fit, manducatio oralis.

1. Non tantum beneficia vel virtus carnis & san-
 guinis Christi: sed substantia ipsa nobis man-
 ducanda datur.
2. Non tantum anima, sed & corpus participat.
3. Unio Christi cum nobis, non tantum fit secun-
 dum animam in fide: sed & secundum corpus.
 Hac enim (ut supra dictum) futuram nostræ
 carnis resurrectionem Patres confirmarunt.

*VIII. Lutherani tamen ipsi, hanc manduca-
 tionem corporis, & sanguinis Domini in cœna,
 spiritualement esse docent. Ergo, &c.*

Respondeo: Insunt in hoc argumento quatuor
 termini. Quando enim Adversarii vocabulo (spiritua-
 liter aut spiritualis) utuntur: tunc non aliud ipsis,
 quam spiritualement credentium cum Christo per fidem
 unionem significat. Quando autem eo nos utimur,
 non adhibemus ad tollendam aut negandam oralem
 manducationem, sed opponimus carnalibus, crassis &
 Capernaiticis, de manducatione carnis Christi, cogi-
 tationibus.

tationibus, & explicamus præsentiam corporis Christi, supercoelestem & supernaturalem. Quia ergo Adversarii ludunt in termini [spiritualis] ambiguitate, dissolvitur argumentum.

QVÆSTIO SECUNDA.

Qvandoquidem animadvertunt Adversarii, haud postremam, asserendi Veram & realem corporis & sanguinis Domini, in S. Cæna præsentiam, habere vim, argumentum à manducatione indignorum, qua corpus Domini ad iudicium sibi manducant, desumptum: non dubitant, etiam illam ipsam manducationem indignorum (licet in Scriptura expressissime positam & assertam) audaci sane proposito, negare. Necesse igitur est, nos manducationem illam, hac peculiari Quæstione astruere, & Adversariorum evanida argumenta proferre & refutare, indignos autem, licet careant fide, nihilominus, in S. Cæna, manducare, cum pane verum Corpus, & cum vino bibere verum Sanguinem Domini, probatur argumentis sequentibus.

E s Defa-

I. Desumitur Argumentum à substantia Coenæ: quia enim vere adesse & realiter corpus & sanguinem Domini supra probatum est: quid aliud sumerent indigni, quam substantiam Coenæ Dominicæ, in qua una cum pane, verum etiam Christi corpus exhibetur?

II. Quia demonstratum est, in Coena non spirituales sed **O R A L E M** manducationem à Christo intelligi: quæ non, ut spiritualis, solis convenit credentibus, sed & indignis & hypocritis.

III. Essentia & substantia Sacramentorum, non dependet à dignitate aut indignitate, vel administrantis, vel sumentis: sed à veritate, promittentis, instituentis.

I. Hoc si negant Adversarii, in Schyvenckfeldianorum jam jam transierunt castra.

II. Et: Hominum incredulitas fidem Dei non evacuat, Rom. 4.

IV. Apparet etiam id ex verbis & actionibus primæ institutionis Coenæ Dominicæ.

I. Non enim Christus bipartitam facit Propositionem, ut diceret: Accipite, comedite. Et, qui fide acceperitis, sciatis, vos corpus meum percipere. Qui vero sine fide acceperitis corpus meum non percipietis. Sed simpliciter dicit: Hoc est corpus meum.

II. Judas (ut circumstantiæ totius Historiæ produnt) etiam Coenæ Dominicæ interfuit: ob cujus præsentiam, si manducatio indignorum neganda esset, Christus sufficientissimam causam habuisset, ut aliis erga Judam, quam erga reliquos Apostolos de Substantia suæ Coenæ uteretur verbis. Quod, quia non facit, quid quæso aliud innuit, quam dignos pariter & indignos (licet diverso effectu) in Coena, corpus & sanguinem suum manducare & bibere?

V. Verba porro Pauli, quibus de manducatione indignorum

gnorum

gnorum loquitur, adeo sunt clara, ut colorem sibi induci non patiantur. Sic enim scribit:

I. Quicumq; manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini **INDIGNE**, reus erit **CORPORIS, & SANGUINIS DOMINI**. Secundum Calvinianorum autem sententiam, Paulo dicendum erat: Rei fiunt Panis & Vini, vel Figuræ.

II. Qui manducat & bibit **INDIGNE**, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans **CORPUS DOMINI**. Quod, si corpus Domini cum pane non adest: si indigni id non manducant, quid opus est dijudicare, quod non habes, non adest, neq; tibi datur? Si non manducant corpus Domini, quomodo Rei possunt fieri corporis Dominici, nunquam percepti?

Contrà inferunt Adversarii.

I. *Christi caro, est caro vivifica, Joan. 6. Si ergo indigni manducarent carnem Christi, utiq; etiam vivificarentur. Quia vero non vivificantur, certum est, eos neque manducare Christi carnem.*

Respondeo. 1. Fallacia est accidentis, vel secundum non causam, ut causam. Non enim propterea non vivificantur, quod corpus Domini non manducant, sed quia **INDIGNE** manducant. Quemadmodum, cum duo ægroti unum & idem sumunt medicamentum, potest id alteri salutare, alteri noxium esse: idq; non vitio medicamenti, sed vitio pravæ constitutionis assumentis. Sicuti Prædicatio Evangelii una & eadem dicitur à Paulo, odor vitæ in vitam, **HIS, QUI SALVI FIUNT. ET**: Odor mortis in mortem, **HIS, QUI PEREUNT** (2. Corinth. 2.) 2. Christus non tantum est Salvator, sed etiam Judex, ideoq; sicuti in dignis

gnis (ut Salvator) operatur salutem : ita in indignis (ut Judex) exercet judicium. Confunditur igitur Christi duplex (secundum objectorum diversitatem) officium ab Adversariis.

II. Christi corpus spiritualiter, Fide, est manducandum. Sed impii & indigni carent Fide. Ergo non manducant corpus Domini.

Respondeo. 1. Argumentantur Adversarii à manducatione spirituali, ad manducationem oralem in Cœna, quam toto genere ab illa differre, præcedens edocuit Quæstio. Est igitur argumentum ab angulo ad baculum, quod ob quatuor terminorum complicationem non cohæret. 2. Peccant in hoc Paralogismo adversarii insufficienti modorum manducationis enumeratione. Non enim solus spiritualis est modus: secundum quem indignos non manducare, nemo negat. Sed est etiam modus oralis, secundum quem, & manducant indigni corpus Domini, & illius rei efficiuntur. 3. Plus est in conclusione, quam in præmissis. Non enim plus sequitur, quam indignos SPIRITUALITER non manducare. Quod autem propterea, quia spiritualiter non manducant, nullo alio modo corpus Christi manducant, id inde extrui non potest.

III. Sacramenta extra usum verum, non habent rationem Sacramenti. Sed vero Cœnæ usu carent impii. Ergo non manducant corpus Domini

Respondeo. 1. In Majore (verus usus) sumitur pro actione à Christo instituta in genere, qua ratione hoc axioma opponitur Pontificiæ Missæ, & panis benedicti inclusioni, circumgestationi, &c. In Minore, ab Adversariis sumitur, non pro actione ipsa, à Christo instituta,

Instituta, sed FRUCTUOSO. Quatuor igitur concurrunt termini in hoc argumento. 2. Si infructuosa perceptio Cœnæ Dominicæ faceret, ut Cœna Sacramenti rationē non amplius haberet: sequeretur inde in communicatione indignorum, Cœnam Dominicā non celebrari: & hac ratione, neque ex orali manducatione, neque ex Sacramentali $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\eta$ (quod volunt Adversarii) Rei fierent corporis & sanguinis Christi. Quod, sicut non dabunt Adversarii, ita inde Argumenti sui infirmitatem facilè, si volent, agnoscere poterunt.

IV. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, dicit Paulus, 1. Cor. 10. Sed indignos bibere calicem Dæmoniorum non est dubium. Non ergo possunt sanguinem realem Domini bibere in Cœna.

Respondeo. 1. AEquivocatio est in vocabulis (non potestis) in Maiore sumitur (non posse) pro eo, quod est, salva conscientia & sine vitæ æternæ amissione & ita secundum quid) fieri non potest. In minore vero sumitur pro eo, quod simpliciter fieri non potest. Quatuor ergo sunt termini. 2. Calicis Dæmoniorum appellatio itidem æquivoca est. In Maiore per eam intelligere Paulum convivias, quæ apud immolationes, falsis Diis & Idolis factas, ex Idolothytis parabantur, totus docet contextus. In minore autem sumitur ab Adversariis pro indignis quibuslibet, indefinite dictis. Quinque igitur habet terminos hoc Argumentum.

QVÆSTIO III.

VT nihil in Articulo de Cœna intentatum relinquerent Adversarii, videntes

dentes institutionis verbis se irrefragabiliter constringi: tandem ad voculas, quibus verborum institutionis, literalis & genuinus sensus piè & dextrè explicatur, se convertunt, ac etiam illas arrodunt. Concedunt enim, voculas IN, CVM, SVB, non ferendas, sed amovendas in isthoc mysterio. Nos autem & piè esse introductas, & in Ecclesia servandas censemus.

I.

Quia hæ voculæ genuinum verborum sensum nihil immutant, sed eundem retinent, & explicant. Cum ergo nihil, contra verborum. Cœnæ mentē contineant, cur explanationis gratia, ijs uti non liceret?

II.

Quia prædicatio (Hoc est corpus meum) in Cœna, est inusitata, sanè oportet uti aliis vocabulis, vim prædicationis ita explicantibus, ut, quid sibi velit illa Prædicatio, intelligi queat. Quòd videlicet, non sit de rebus absentibus, sed præsentibus, & Sacramentali unione devinctis, Prædicatio. Id verò commodissimè per positas illas voculas præstatur.

III.

Ad Pontificiam, de Transsubstantiatione, falsam doctrinā reiiciendam, commodissimè utimur illis vocabulis: ut, quæ satis docent, non mutari panem & vinum in corpus & sanguinem Domini, sed per gratiam simul esse.

IV.

Neque ex nostro cerebro natæ sunt, sed in Scriptura, in consimilium Propositionum declarationibus usitatæ & monstratæ. Exempli gratia:

I. Filius hominis, est Filius Dei, Matth. 16. Hæc Propositio alibi sic explicatur: IN IPSO inhabitat
omnia

omnis plenitudo divinitatis CORPORALITER.
Colofs. 2.

II. Verbum caro factum est, Ioan. 1. Hæc Propositio explicatur sic: Emanuel; Deus nobis CVM, Esa. 7. Matth. 1.

III. Columba est Spiritus Sanctus, Hæc Propositio sic resolvitur: Spiritus Sanctus adest, S V B specie columbæ.

IV. Sanguis est anima, Deuteronom. 12. Hæc Propositio explicatur: I N sanguine est anima, Levit. 17.

Ita etiam sancti Patres, de hoc Cœnæ Myserio, hisce particulis usi sunt: quod equidem, nisi frontem omninò perfricuerint, Adversarii negare non possunt. Adiungamus autem unum atque alterum dictum Patrum.

I. Hoc accipite I N P A N E, quod pependit in Cruce. Et: Hoc accipite I N C A L I C E, quod effusum est è Christi latere. Augustinus in sermone ad Neophytos.

II. Panis quidem cibus est, sed I N Pane est efficacia, ad vivificationem, Epiphanius.

III. I N illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi: S V B utraque tamen specie, totus sumitur Christus, ait Ambrosius.

IV. Mysterium illud, S I M V L Panis & Caro est, Hefychius, super cap. 8. Levitici.

Contra inferunt Adversarii.

I. Phrases in Scriptura non contentæ, non sunt introducendæ. Sed hæ Particulæ in Scriptura non continentur. Ergo.

Respon-

Respondeo. 1. Maior negatur. Sicuti argumento huius Quæstionis affirmativo quarto probatum est. Nihil ergo sequitur.

II. Particulæ istæ in verbis Cœnæ non continentur. Ideoq; ad Cœnæ Dominicæ explanationem non sunt adhibendæ.

Respondeo 1. Dupliciter aliquid dicitur in Scriptura contineri, aut non contineri, vel secundum litteram vel secundum sensum. Ita, quo ad litteram Particulas illas non contineri in verbis Cœnæ concedimus, non contineri autem, quo ad mentem & sensum, negamus. Quia enim Christus adesse suum corpus asserit, Paulus autem Panem benedictum, non transmutari, sed panem esse dicit: equidem Panis & corpus Christi simul sunt. Ergo & I N, C V M, & S V B P A- N E, & sic maximè, quoad mentem, in verbis Cœnæ, Particulæ illæ continentur. 2. Qui verum Scripturæ sensum, paraphrasticè, aliis, sed idem designantibus vocabulis effert, non dici potest, à verbis textus recessisse: ita etiam de hisce Particulis iudicandum.

III. Per hæc vocabula, latibulum præbetur Pontificiis, qui per Particulas S V B, C V M, specie, non, nisi Accidentia specierum intelligunt. Ergo ab his particulis abstinendum.

Respondeo. 1. Fallacia committitur Accidentis: quòd enim Pontificii hisce Particulis, contra mentem eorum, qui ea adinvenerunt, Patrum. abutuntur, hoc ipsis particulis & dextro earum usui derogare non debet. Abusus enim bonarum rerum, verum usum
tollere

tollere non debet. 2. Adversarii non hoc agunt, ut Pontificiam destruant doctrinam: sed ut veram, ac substantialem corporis Christi in Coena præsentiam subvertant. Eam enim explosis & ex Ecclesia proscriptis hisce Particulis, facilius ruituram, aut explicatione, quæ beneficio harum Particularum fit, destitutam, in odium rapi, eique per calumniam, absurdas quasvis sententias tutius affingi posse sperant.

CAPVT III.

Continens Prolegomena in
locum vel Controversiam, de
Persona Christi.

VIDIMVS supra in tractatione de Coenæ Dominicæ substantia, Adversarios pleraq; argumenta, quibus veram & realem corporis & sanguinis Dominici præsentiam impugnare nituntur, non ex verbis institutionis, sed ex loco de persona Christi perperam intellecto, mutuari. Cū enim videret olim Zvvinglius, eiusque complices, verba institutionis Coenæ, solidiora & clariora esse, quam quæ convelli possint: omnem quasi aciem converterunt in locum de Persona Christi, & Humanitati Christi derogarunt omnē Divinam potentiam & maiestatem, quam ex unione Personalī, per communicationem naturarū, harumq; Idioma tum, accepit: atque sic de utrisq; in Christo naturis docuerunt, ut Nestorii doctrinam, in multis, non obscure approbare videantur. Necessarium igitur est etiam, ut tractationem præcipuarum de Persona Christi quæstionum suscipiamus, & pari, qua hæctenus, methodo progrediamur.

F

Iunxerunt

Iunxerunt autem se Calvinianis in isthac de Persona Christi, Controversia, Iesuitæ, genus hominum ad Christi impugnandam gloriam, non aliter, quam olim Hannibal ad odium Romanæ Reipublicæ, natum; qui interdum magis horrenda & dira, quam ipsimet Calviniani, in Dominum Iesum (sicuti in tractationis progressu apparebit) evomunt: qui, cum à Calvinianis non dissentiant (utrisque nimirum è Scholasticorum lacunis, quicquid in hac materia obiiciunt, proferentibus) utrosque in hac Controversia uno loco habebimus.

Antequam autē ad rē ipsam accedamus, placuit, quædam Prolegomena, quorundam vocabulorum & terminorum in hac materia usitatorum, explicationem complectentia, breviter præmittere. Cum enim huius Enchiridii intentio non tantum ad Theologiæ Studiosos, quibus hi termini cognitissimi esse debent, sed & ad viros pios Politicos, veritatis amantes, sese extendat: etiam illis inserviendum duximus: quo felicius, & minus offenso pede, in sequentis tractationis lectione versari possint. De quibus autem præmonendum duximus, hæc ferè sunt.

I. PERSONA QUID.

In genere, Persona dicitur esse Substantia singularis, intelligens, ac per se subsistens, quæ à cæteris eiusdem naturæ hypostasibus, peculiari quadam proprietate aut accidentibus discernitur. Vel. Persona est Substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio.

Si verò in specie sermo sit de Persona Christi, tum eam interdum consideramus, ante incarnationem. Quæ ratione λόγος, sive secunda Trinitatis persona,

PERS. CHRISTI. CAP. III. 85

sona, genita dicitur: & hac significatione (videlicet ante incarnationem) ad Personæ integritatem sufficit sola divina Christi natura, relatè (hoc est, non quatenus ea toti Trinitati communis, sed Characterè suo circumscripta est) intellecta. Quando autem Christi Personam post incarnationem (postquam nimirum verbum caro factum est) intuemur, & consideramus, tum ad totum Christum, ac totam illam personam, sive Personæ illius integritatem, non sufficit alteram solùm naturam, sed utramque, Divinam videlicet & Humanam, intelligere; & Christum post incarnationem, sine carne sua, ne cogitare quidem licet.

Personæ synonyma sunt, ὑφίσταμενον, ὑπόστασις, πρόσωπον, ἢ ἄτομον: hoc est, Subsistens, Subsistentia, Persona, individuum.

II. NATURA QUID.

Natura, quando de λόγῳ sumitur, non tota Divinitatis sive Trinitatis Essentia absolutè (hoc est, quatenus ea tribus Personis Trinitatis communis) sed relatè (hoc est, determinata ad certam Personam, videlicet Filii Dei) intelligitur: videlicet, natura Divina, nec gignens, nec procedens, sed genita: per se tamen, non in alio subsistens.

Quando verò Naturæ vocabulum, de Humana Natura dicitur: tunc per naturam humanam intelligitur homo totus, anima & corpore constans: ita tamen, ut hæc (Humana) natura non quasi per se subsistens, aut quæ unquam per se, propriavè subsistentia subsisterit: putetur, utpote, quæ suum **SUBSISTERE**, non, nisi in Persona, vel hypostasi Filii Dei habeat.

Naturæ vocabula sunt, θεότης, ἀνθρωπότης, Divinitas, Humanitas, divina natura, humana natura, essentia divina, substantia humana.

III. Λόγος ET CHRISTVS ut differant.

Quando λόγον vel ante incarnationem, vel post eam (abstractione videlicet rationali) consideramus, tum Divinam Filii Dei Personam & Naturam intelligimus. CHRISTVS autem non secundum alteram Naturam: sed tanquam ex duabus, Divina & Humana, naturis, constans, pro uno duabus illis naturis constante Christo, sumitur.

IV. ABSTRACTVM ET Concretum.

Ne quis in Abstracti, & Concreti definitione decipiat, sciendum ea dupliciter sumi.

Primo est Abstractum & Concretum Grammaticum seu Etymologicum (ex coniugatis ortum) quando (ut Damascenus loquitur) subtilibus cogitationibus, Natura quasi natura, in sese, & quasi extra unionem, abstractivè consideratur (sicuti iustitia, abstractum, & iustus, concretum, inter se differunt) sed de hoc abstracto omnino tacendum est in hoc mysterio, quia Fides hic nullam docet abstractionem, sed concretionem, coniunctionem & copulationem intimam, artissimam & indissolubilem: ita, ut si maximè, quàm argutissimis cogitationibus abstractionem subtilissimam mente concipiamus: extra intellectum tamen reipsa, nihil tale in istius mysterii dogmate correspondeat: & si cogitationes eiusmodi rationalem aliquam distra-

distra-

distractionem introducant; nihil tamen reale, conceptui respondens, pariant: aut si velimus tales conceptus realiter in persona Christi statuere, revera iam Christum solverimus. Quare, in Scholis, extra Theologiam, de persona Christi, potest huius Abstracti & Concreti aliquis esse usus: in hoc verò loco, materia, videlicet inusitata & transcendenti, locus ei non datur.

Secundò, Abstracta in HAC MATERIA dicuntur vocabula, per quæ naturæ in Persona Christi efferuntur, ut Divinitas, Humanitas Christi. Concreta verò dicuntur vocabula, totam in Christo personam designantia, ut: Deus, Homo. Vtriusque differentia est: quòd in Concreto, natura de natura rectè prædicatur, ut: Deus est Homo, &: Homo est Deus. Id autem non licet in Abstractis; ut, non rectè dicimus: Humanitas est Deitas, vel: Deitas est Humanitas. Interim Scriptura nunquam humanæ naturæ in Abstracto divina Idiomata tribuit, ut: Caro mea verè est cibus, Iohan. 6. Sanguis Iesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Iohannis 1. Ita, ut secundùm hanc alteram Abstracti & concreti significationem, non tantùm in Concreto, sed & in Abstracto (intra unionem, tamen considerato) rectè Humanitati Christi, Divina Idiomata tribuantur.

De Abstractis & concretis, trita est, nec inutilis Scholasticorum Regula: Abstracta vocabula, aiunt, supponunt pro naturis, Concreta pro persona.

V. PROPRIETATES seu Idiomata.

Idiomata, seu Proprietates naturarum triplici distinctione considerantur: Sunt enim horum quædam,

dam, quæ dicuntur Essentialia, quædam Accidentalìa, quædam verò Personalìa.

I. Essentialia.

1. Constitutiua.

va.

2. Circa naturam.

ra. n.

ESSENTIALIA bifariam sumuntur. Horum enim aliqua sunt Naturarum constitutiua, qualia sunt in Divinitate omnia: in Humanitate verò constare anima rationali & corpore, sine quibus natura humana consistere non potest. Aliqua verò circa naturam dicuntur, & quæ ad naturam iam constitutã consequuntur: ut, quod humana natura est palpabilis, visibilis, locata circumscriptivè, &c. Hæc citra essentiæ destructionem à natura abesse possunt, quod ratio & conditio corporum glorificatorum docet, quæ constant quidem anima & corpore; non tamen posterioribus hisce proprietatibus subiacent.

ACCIDENTALIA Idiomata sunt, humanæ naturæ infirmitates, quas in statu Exinanitionis in se recipit Christus, non ut veritati humanæ carnis necessarias, sed ut victima pro nobis fieri posset: qualia sunt, dormire, defatigari, sitire, esurire, &c. Huc etiam pertinent, dona creata, hyperphysica (à Scholasticis sic appellata) puta, sapientiam, intellectum acrem, quibus crevisse Christus dicitur, Luc. 2. Possunt enim hisce mul-
ti carere, & interim veri homines esse.

PERSONALIA Idiomata, in divina natura Christi, non sumuntur absolutè (hoc est, quatenus tribus Trinitatis Personis communia) sed relatè, & determinatè (ut supra dictum) ut videlicet intelligatur Omnipotentia, Omniscientia, &c. genita. Humanæ naturæ Personale hoc proprium est, quo ab omnibus aliis suæ naturæ individuis (hominibus) differt: quòd videlicet hæc natura, non propria, sed aliena, τὸ λόγος nimirum Persona subsistat, utpote quæ propria suæ Subsistentiæ omninò sit destituta.

VI. D 1.

VI. DISTINCTIO STATVVM
carnis Christi.

Etsi in unione, ab ipso Conceptionis puncto, caro Christi ad dexteram Dei fuit erecta: tamen non unus & idem carnis Christi fuit status, sed alius atq; alius, pro ratione officii Mediatorii obeundi. Qui Status, nisi diligenter distinguantur, multos & magnos errores pariunt: observati vero, Scripturæ loca, quæ prima fronte potuerant obscura videri, luculentissime explicant. Sunt autem numero tres distincti Status.

PRIMUS Status carnis Christi, dicitur EXINANITIONIS, non quod ante hunc Statum, Christus (qua Homo) divinam gloriam non habuerit, sed quod in illo Statu gloriam suam occultaverit, neq; ea, nisi forte in edendis miraculis uti voluerit. Sicuti, cum duodennis esset, radium divinæ scientiæ emisit, differens in Templo, Luc. 2. Et ut Joannes dicit, de primo Christi miraculo, in Cana Gallileæ edito: Hoc fecit initium signorum Jesus, in Cana Gallileæ, & MANIFESTAVIT Gloriam suam, cap. 2. Hunc autem exinanitionis Statum Paulus ita describit: Qui [Jesus Christus] cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum EXINANIVIT, FORMAM SERVI accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. HUMILIAVIT semetipsum, factus obediens, usque ad mortem: mortem autem crucis, Philip. 2. Et ad hunc exinanitionis statum spectant ea omnia, quæ de infirmitatibus humanis [citra peccatum tamen] in Scriptura de Christo dicuntur: neq; diutius, quam usque ad gloriosam ejus Resurrectionem durare debuit.

SECUNDUS Status, dicitur Status GLORIFICATORUM corporum: non quidem, quod ultra & supra hunc Statum, nihil sublimius corpori Christi accesserit:

serit: sed quod utile sit considerare gloriã carnis Christi in resurrectione; Quia Christus (ut dicit Paulus, Coloss. 3.) transfigurabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Deinde, ne exinanitionis infirmitates iterum Christo post resurrectionem assignemus, qualia sunt, esse visibilem, palpabilem, loco inclusum, &c. quæ quidem Calviniani, Christi corpori in divina Majestate constituto, adhuc tribuunt: Paulus autem ea vel à Sanctorum corporibus gloriosis aufert, 1. Cor. 15. & ea non esse de essentialibus **CONSTITVTIVIS** humanæ naturæ propriis, supra in propriorum distinctione docuimus.

TERTIUS Status, dicitur Status **MAJESTATIS**, & gloriæ divinæ, in quam Christus homo ingressus est, per resurrectionem, ascensum in cœlum, & sessionem ad dexteram Dei, ut jam plenaria potestate, & divina omnipræsencia, ubiq; præsentem cuncta regat atq; gubernet, divinæq; Omnipotentiae administrationem in cœlo & in terra habeat & usurpet. Quem statum Paulus sic describit: Deus exaltavit illum (**JESUM**) & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum; & omnis lingua confiteatur, quod Dominus **JESUS CHRISTUS** in gloria Patris, Philipp. 2. Et idem alibi: Deus suscitavit **JESUM** à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus. Et ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet, Ephes. 1.

Possunt etiam huc annecti, tres diversi in **CARNE** Christi respectus. Quorum primus est, corporis naturalis:

ralis:

ralis: Secundus, glorificati: Tertius, Majestatici, sive
divinæ Majestatis usu præditi.

*VII. AFFIRMATIVÆ ET NEGA-
tivæ Propositiones de hac Materia,
prout eæ in Epitome Formulæ
Concordiæ habentur*

Has Propositiones placuit duas ob causas, huic Ca-
piti & Prolegomenis annectere. Prima est, ut (quod
ajunt) contrariis juxta se positis, veritas magis eluces-
cat: &, ut remota falsa doctrina, facilius discat Le-
ctor, quid in hoc articulo negandum, quid affirmandū,
& ne imprudens adigi se patiatur in Disputatione, ut
neganda affirmet, aut affirmanda neget. Altera causa
est, libido calumniandi in Adversariis, qui quando ve-
ritatem opprimere non possunt, ut exosam reddant piã
nostram doctrinam, per Calumniam affingunt nobis
monstruosissimas opiniones, quas ne per febrim quidem
somniavimus. Ut igitur pius Lector, & injuriam nobis
fieri deprehendat, & quæ nostra mens sit, agnoscat, ap-
posuimus dictas Propositiones, quæ totum negotium,
affirmative, & negative quam exactissime cõplectun-
tur. Eæ autem sic habent.

STATUS CONTROVERSIÆ.

Principalis hujus dissidii quæstio fuit: an inter di-
vinam & humanam naturam in Christo, propter unio-
nem Personalem. **R E A L I S**, hoc est, vera & re ipsa ex-
istens, in Persona Christi, fiat quædam communicatio:
ut una natura alteri proprietates suas communicet. Et
quæsitum etiam est, quousq; illa realis communicatio
extendatur.

Sacramentarii affirmarunt, divinam & humanam
F S naturas

- „ naturas in Christo, eo modo unitas esse, ut neutra alte-
 „ ri quicquā realiter, hoc est, vere, re ipsa, quod cuiusque
 „ naturæ proprium sit, communicet: sed nomina tantum
 „ nuda communicari. Unio [inquiunt illi] facit tantum
 „ nomina communia: ut videlicet, Deus dicatur homo,
 „ & homo Deus appelletur: ita tamen, ut Deus nihil cum
 „ humanitate commune habeat, & vicissim humanitas
 „ nihil cum divinitate, quoad ipsius Majestatem & pro-
 „ prietates, realiter, hoc est, revera & re ipsa commune
 „ habeat. Contrariam vero huic dogmati sententiam,
 „ D. Lutherus, & qui cum ipso faciunt, adversus Sacra-
 „ mentarios, propugnarunt.

AFFIRMATIVA.

Sincera doctrina Ecclesiæ Dei, de Persona Christi.

Ad explicandam hanc controversiam, & juxta Analogiam Fidei nostræ decidendam, fidem, doctrinā, & cōfessionem nostram piam, perspicue profitebimur: & quidem in hanc sententiam.

- I. Credimus, docemus & confitemur, divinam &
 „ humanam naturas in Christo personaliter unitas: ita
 „ prorsus, ut non sint duo Christi, quorum unus sit Fili-
 „ us Dei, alter vero Filius hominis: sed, ut unus & idem
 „ sit Dei & hominis Filius.
- II. Credimus, docemus & confitemur, divinam &
 „ humanam naturas, nō in unam substantiam commix-
 „ tas, nec unam in alteram mutatam esse: sed unam-
 „ quamq; naturam retinere suas proprietates essentielles:
 „ ut quæ alterius proprietates fieri nequeant.
- III. Proprietates divinæ naturæ sunt, esse Omni-
 „ potentem, æternam, infinitam, & naturæ, naturalisque
 „ suæ essentiaē proprietate, per se ubiq; præsentem esse, o-
 „ mnia

omnia novisse, &c. Hæc omnia neq; sunt, neq; unquam
fiunt humanæ naturæ proprietates.

IV. Humanæ autem naturæ proprietates sunt: corpoream esse Creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptam, pati, mori, ascendere, descendere, de loco ad locum moveri, esurire, sitire, algere, æstu affligi, & si quæ sunt similia. Hæc neq; sunt, neque unquam fiunt proprietates divinæ naturæ.

V. Cum vero divina & humana naturæ, personaliter, hoc est, ad cōstituendū unū ὑφίσταμενον, sint unitæ: credimus, docemus & confitemur, unionem illam hypostaticam, non esse talem copulationem, aut combinationem, cujus ratione neutra natura cum altera personaliter, hoc est, propter unionem personalem, quicquam commune habeat. Qualis combinatio fit, cum duo assere glutinantur, ubi neuter alteri quicquā confert, aut aliquid ab altero accipit. Quin potius in unione personali, summam communionem esse statuimus, quam Deus cum assumpto homine vere habeat. Et ex hac personali unione & communionem, quæ inde consequitur, totū illud promanat, quicquid humani de Deo, & quicquid divini de homine, dicitur & creditur. Et hanc unionem atq; communicationem naturarum antiquissimi Ecclesiæ Doctores, similitudine ferri candentis, itemq; unione corporis & animæ declararunt.

VI. Hinc etiam credimus, docemus & confitemur, quod Deus sit homo, & homo sit Deus. Id nequaquam ita se haberet, si divina & humana natura, prorsus inter se nihil revera & reipsa communicarent. Quomodo enim homo, Mariæ Filius, Deus, aut Filius Dei Altissimi, recte appellari posset, si ipsius humanitas, cum Filio Dei, non esset personaliter unita, & realiter, hoc est, vere & reipsa, nihil prorsus, excepto solo nudo nomine cum ipso commune haberet?

VII. Eam

- „ VII. Eam ob causam, credimus, docemus & con-
 „ fitemur, quod virgo Maria, non hominem duntaxat,
 „ qui nihil, nisi homo sit, sed verum Dei Filium, concepe-
 „ rit & genuerit. Unde recte Mater Dei & appellatur,
 „ & revera est.
- „ VIII. Inde porro credimus, docemus & confitemur,
 „ quod non homo tantum, in quo nihil fuerit homine
 „ majus, pro nobis passus, mortuus, & sepultus sit, ad in-
 „ feros descenderit, à mortuis resurrexerit, ad coelos a-
 „ scenderit, & ad Majestatem & Omnipotentem Dei vir-
 „ tutem erectus fuerit: sed potius, quod hæc omnia fe-
 „ cerit, atq; præstiterit talis homo, cujus humana natu-
 „ ra, cum Filio Dei, tam arctam ineffabilemque unionem
 „ & communicationem habet, ut cum ea una sit facta
 „ Persona.
- „ IX. Quapropter vere Filius Dei, pro nobis est pas-
 „ sus: sed juxta proprietatem humanæ naturæ, quam in
 „ unitatē divinæ suæ Personæ assumpsit, sibiq; eam pro-
 „ priam fecit: ut videlicet pati, & Pontifex noster sum-
 „ mus, reconciliationis nostræ cum Deo, causa esse posset.
 „ Sic enim scriptum est: Dominum Gloriæ crucifixe-
 „ runt. Et alibi Scriptura dicit: nos sanguine Dei re-
 „ demptos esse.
- „ X. Ex eodem etiam fundamento, credimus, doce-
 „ mus & confitemur, Filium hominis, ad dexteram O-
 „ mnipotentis, Majestatis & virtutis Dei, REALITER,
 „ hoc est, vere & re ipsa, secundum humanam suam natu-
 „ ram, esse exaltatum. Idq; minime absurdum est; cum
 „ homo ille in Deum assumptus fuerit, quamprimum in
 „ utero Matris, à Spiritu sancto est conceptus; ejusq; hu-
 „ manitas, jam tum cum Filio Dei Altissimi personaliter
 „ fuerit unita.
- „ XI. Eamq; Majestatem, ratione unionis Persona-
 „ lis, semper Christus habuit: sed in statu suæ humiliatio-
 „ nis sese exinanivit; qua de causa, revera, ætate, sapien-
 „ tia, &

tia, & gratia, apud Deum & homines PROFECIT. [“]
 Non enim Maiestatem illam semper, sed quoties illi vi- [“]
 sum fuit, exercuit: donec formam servi, non autem [“]
 naturam humanam, post resurrectionem plenè & pror- [“]
 sus deponeret, & divinam Maiestatem, plenè usurparet, [“]
 manifestaret atque monstraret, & hoc modo in glori- [“]
 am suam ingrederetur. Itaque iam nō tantum, ut Deus, [“]
 verum etiam, ut homo, omnia novit, omnia potest, [“]
 omnibus creaturis præsens est, & omnia, quæ in cœlis, [“]
 & in terra, & sub terra sunt, sub pedibus suis, & in ma- [“]
 nu sua habet. Hæc ita se habere, Christus ipse testa- [“]
 tur, inquit: Mihi data est omnis potestas, in cœlo [“] *Joan. 13.*
 & in terra. Et Paulus ait, Ascendit super omnes cœ- [“] *Matt. 28.*
 los, ut omnia impleret. Hanc suam potestatem ubique [“] *Ephes. 4.*
 præsens exercere potest: neque quicquam illi, aut im- [“]
 possibile est, aut ignotum. [“]

XII. Inde adeò & quidem facilimè, corpus suum [“]
 verum, & sanguinem suum, in sacra Cœna præsens dis- [“]
 tribuere potest. Id verò non fit, iuxta modum & [“]
 proprietatem humanæ naturæ: sed iuxta modum & [“]
 proprietatem dexteræ Dei: ut Lutherus, secundum [“]
 Analogiam Fidei nostræ Christianæ in Catechesi com- [“]
 præhensæ loqui solet. Et hæc Christi, in sacra Cœna [“]
 præsentia neque Physica est, neque Capernaitica: in- [“]
 terim tamen verissima, & quidem substantialis. Sic e- [“]
 nim verba Testamenti Christi sonant: Hoc est, est, est [“]
 corpus meum. [“]

Hac nostra fide, doctrina & confessione Persona [“]
 Christi non solvitur, quod olim Nestorius fecit. Is [“]
 enim veram communicationem Idiomatum, seu pro- [“]
 prietatem, utriusque naturæ in Christo negavit, & hac [“]
 ratione Christi Personam solvit: quam rem D. Luthe- [“]
 rus, in libello suo de Conciliis, perspicuè declaravit. [“]
 Neque hac pia nostra doctrina, dux in Christo natu- [“]
 ræ, ea-

22 ræ, earumque proprietates confunduntur, aut in u-
 23 nam Essentiam commiscetur : (in quo errore Euty-
 24 ches fuit) neque humana natura, in persona Christi,
 25 negatur aut aboletur : neque altera natura in alteram
 26 mutatur. Sed Christus, juxta piam nostram Confes-
 27 sionem, verus Deus & Homo, in una indivisa Persona
 28 est, permanetque in omnem æternitatem. Hoc, post
 29 illud Trinitatis, summum est mysterium, ut Apосто-
 30 lus testatur, in quo solo tota nostra consolatio, vita &
 31 salus posita est.

NEGATIVA.

Contraria & falsæ doctrine, de Persona Christi, Reiectio.

Repudiamus igitur & damnamus omnes falsos, quos iam recitabimus, Articulos : eò quòd verbo Dei & sinceræ fidei nostræ Christianæ repugnent : cùm videlicet sequentes errores docentur.

I. Quòd Deus & homo in Christo non constituent unam Personam : sed, quòd alius sit Dei Filius, & alius hominis Filius : ut Nestorius deliravit.

II. Divinam & humanam naturas, in unam essentiam commixtas & humanitatem in Deitatem, mutatam esse, ut Eutyches furenter dixit.

III. Quòd Christus non sit verus, naturalis & æternus : ut Arius blasphemavit.

IV. Quòd Christus non veram humanam naturam habuerit, ut Marcion finxit.

V. Quòd unio Personalis tantùm faciat communia nomina.

VI. Phrasin tantùm esse, & modum quendam loquendii cum dicitur : Deus est homo : & homo est Deus : Deum enim nihil cum humanitate & humani-
atem

tatem nihil cum Deitate, REALITER, hoc est, verè & reipsa commune habere.

VII. Esse tantùm VERBALEM, sine reipsa Idiomatum communicationem, cùm dicitur: Filium Dei pro peccatis mundi mortuum esse: Filium hominis Omnipotentem factum esse.

VIII. Quod humana in Christo natura, eo modo, quo Divinitas, facta sit essentia quædam infinita: quod humana natura habeat virtutem & proprietatem quandam essentialem, & divinam, separatam tamen à Deo, quæ illi sit communicata, & in ipsam infusa: & quod humana natura, virtute illius communicationis, eo modo, sicut divina natura, ubique præsens sit.

IX. Quod humana natura divinæ, ratione substantiæ, atque essentiæ suæ, vel proprietatem divinarum essentialium, exæquata sit.

X. Humanam naturam in Christo, in omnia loca cœli & terræ, localiter extensam esse; quod ne quidem divinæ naturæ est tribuendum.

XI. Christo impossibile esse, propter humanæ naturæ proprietatem, ut simul eodemque tempore in pluribus, nedùm in omnibus locis, suo cum corpore esse possit.

XII. Quod sola humanitas pro nobis passa sit, nosque redemerit: & quod Filius Dei, passione nullam prorsus cum humanitate (reipsa) communicationem habuerit: perinde ac si id negotium nihil ad ipsum pertinuisset.

XIII. Quod Filius Dei tantummodo divinitate sua, nobis in terris, in Verbo, Sacramentis, in omnibus deniq; ærumnis nostris præsens sit: & quod hæc præsentia prorsus ad humanitatē, nihil pertineat: Christo enim, postquam nos, passione & morte sua redemerit,

secun-

» secundum humanitatem suam, nihil amplius nobiscum
» esse negotii.

» XIV. Filium Dei, qui tamen humanam naturam
» in unitatem personæ assumpsit, iam, post depositam
» servi formam, non omnia opera Omnipotentiae suæ, in
» & cum humanitate sua, & per eam efficere: sed tan-
» tum aliqua & quidem in eo tantum loco, ubi humana
» natura sit localiter.

» XV. Christum, secundum humanitatem, Omni-
» potentiae, aliarumque proprietatum divinæ naturæ,
» prorsus non esse capacem. Idque asserere audent, con-
» tra expressum testimonium Christi, dicentis: Mihi da-
» ta est omnis potestas in cælo & in terra. Et contradi-
» cunt Paulo, qui ait: In ipso inhabitat tota divinitatis
» plenitudo corporaliter.

» XVI. Christo secundum humanitatem, datam
» quidem maximam potestatem, in cælo & in terra, vi-
» delicet maiorem, & ampliorem, quam omnes Angeli
» & Creaturæ acceperint: sed tamen eam cum omni-
» potentia Dei, nullam habere communicationem, neque
» omnipotentiam illi datam esse. Itaque mediam quan-
» dam potentiam, inter omnipotentiam Dei, & inter
» aliarum creaturarum potentiam fingunt, datam Chri-
» sto, per exaltationem: quæ minor quidem sit, quam
» Dei omnipotentia, maior tamen omnium aliarum
» creaturarum potestate.

» XVII. Quod Christo, secundum spiritum suum
» humanum, certi limites positi sint, quantum videlicet
» ipsum scire oporteat: & quod non plus sciat, quam
» ipsi conveniat, & ad executionem sui officij, Iudicis
» nimirum, necessario requiratur.

» XVIII. Christum, ne hodie quidem, habere per-
» fectam cognitionem Dei, & omnium ipsius operum.
» Cum tamen de Christo scriptum sit: In ipso omnes the-
» sauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse.

XIX. Chria

Col. 2.

XIX. Christo impossibile esse, humano suo spiritu novisse, quicquid ab æterno fuerit, quid iam nunc ubique fiat, & quid in omnem æternitatem sit futurum.

XX. Reiicimus etiam, damnamusque, quod dictum Christi (mihi data est omnis potestas, in cœlo & in terra) horribili & blasphema interpretatione depravatur, in hanc sententiam: quod Christo, secundum divinam suam naturam, in resurrectione & ascensione ad cœlos, iterum restituta fuerit omnis potestas, in cœlo & in terra: perinde, quasi, dum in Statu humiliatio nis erat, eam potestatem, etiam secundum divinitatem, deposuisset & exuisset. Hac enim doctrinâ, non modo verba Testamenti Christi, falsa explicatione pervertuntur, verum etiam dudum damnatæ Arianae hæresi, via de novo sternitur: ut tandem æternâ Christi divinitas negetur, & Christus totus, tantus, quantus est, unâ cum salute nostra amittatur: nisi huic impia doctrinæ, ex solidis verbi Dei & fidei nostræ Catholicæ fundamentis constanter contradicatur.

Hucusque, quæ ex Formula Concordiæ adducta sunt.

CAPVT IV.

De Vnionè Personali, duarum in Christo naturarum.

Quandoquidem in cognitione unionis Personalis, duarum in Christo naturarum, qualis ea sit, & qualis non sit, non parum situm est, peculiare caput in eius descriptione insumemus. Et, ut quid ea sit, & quid in se contineat, clarius fiat, procedamus ad
 eius

G

eius

eius investigationem per remotionem variorum, tam Physicorum, quam Theologicorum, vel supernaturalium unionis modorum, ne fortè imaginationi nostræ aliquis dictorum modorum inhærens, huic mysterio modum præscribat. Tandem ad eius descriptionem, declarationemque, antiquiori Ecclesiæ usitatam, nos, Deo benè iuvante, conferemus.

Varios autem Physicos & Theologicos unionis modos, alii plures, alii pauciores referunt: Ii tamen omnes ferè, in tres Physicos (sive in Physicis usitatos) & tres Theologicos redigi posse videntur.

I. MEMBRVM.

Remotio modorum unionis Physicorum.

PRIMVS modus dici potest, Constitutivus, sive Perfectivus, vel integralis. Quando nimirum, unione partium (per se imperfectarum) perfectum quoddam tertium, in quo actiones sequuntur communes constituitur: quemadmodum ex anima & corpore, quorum neutrum solitarium homo dici potest, per unionem constituitur homo, anima & corpore constans. Hic modus, licèt proximè ad Personalem unionem in quibusdam accedat: tamen & in quibusdam longè ab ea discrepat, scilicet:

1. In Physica hac unione, Natura naturæ: in unione verò Personali, naturæ Persona copulatur.
2. In Physica unione, fit perfectum tertium, ex duobus imperfectis. Unio autem Personalis constat duobus perfectis. λόγος enim ab æterno perfectissimus, ad sui perfectionem, humana natura

natura

natura non indiguit. Humana autem natura assumpta perfecta est, anima & corpore constans. Perfectus nimirum Deus, & perfectus homo.

SECUNDVS modus Physicus, est Mixtionis, qui (ut Physici loquuntur) est alteratorum unio, in quo conversio, Mixtio, proprietatum abolitio, &c. locum habent, quando mixta, relictis prioribus qualitatibus, novum sibi quærunt ingenium, sicuti in mixtione Pharmacorum, præsertim liquidorum, constat. Hic autem modus admodum est alienus ab unione Personali.

1. Conversionem enim statuere, esse Eutychnianum.
2. Vtraque natura in unione Personali, manet integra, neque aboletur, quod in Mixtionis modo non fit.
3. Propria uniuscuiusque naturæ, in unione Personali, non debent, vel possunt fieri propria alterius naturæ.

TERTIVS & infimus quidem modus, sive gradus Physicæ unionis, est unio Combinationis, sive Attingentiæ, in qua nulla natura alteri quicquam tribuit, vel communicat: qualis est combinatio, quando duo Asseres conglutinantur, vel quemadmodum Antverpia Oceanum attingit: nuda videlicet Parastasis. Talis autem unio Personalis non est.

1. Cum enim unio Personalis summa sit & arctissima, absurdum simul & impium esset, eam per infimum Physicæ, per unionis gradum, definire velle.
2. Si nuda Parastasis & Attingentia naturarum statuatur, tum nulla Realis erit naturarum unio, nulla comunicatio: ex quo totus Christianismus, ut suo dicetur loco, subverteretur.

*Remotio Theologicorum quorundam
unionis modorum.*

PRIMVS dicitur modus unionis Essentialis, qui spectat ad unionem in Essentia, Personarum in Trinitate, hypostasi differentium. Ea autem differt ab unione Personali:

1. Essentialis unio VNIVS ESSENTIÆ, facit Personas essentialiter unitas. In Personali autem unione, duæ diversæ naturæ copulantur: quæ tamen propterea non unius sunt aut fiunt Essentiæ, sed manent diversæ.

2. Essentialis unio reducit Personas in Essentiæ communionem: Personalis verò, NATVRAS (non Personas) in unitatem PERSONÆ.

SECVNDVS dicitur Mysticus, quo cuncti fideles cum Christo uniuntur, & ad hanc unionem, gratiosa totius Trinitatis inhabitatio, cum donis Spiritus sancti, ad Ecclesiæ ornamentum & emolumentum spectantibus, consequitur. Differt autem & hic unionis modus ab unione Personali:

I. Unio Mystica, est per enormia scelera solubilis; potest enim, qui Christo per fidem erat insertus, per scelera contra conscientiam, ab eodem revelli. Personalis autem unio solubilis non est: neque ab ulla creaturarum in æternum divelli unquam potest.

II. In Mystica unione, fidelis homo non efficitur cum Patre, Filio, vel Spiritu sancto, una Persona. In unione autem Personali, humana natura, in unitatem Personæ Filii Dei assumpta est.

III. Mystica unio, sive gratiosa inhabitatio, confert inhabitatis, sive unitis fidelibus dona, sed creata & finita. Unio autem Personalis, humanæ naturæ, sibi copula-

copula-

copulatæ, confert, non creata & finita, sed æterna divina & infinita dona: omnem videlicet plenitudinem divinitatis (Philip. 2.) & divinæ Maiestatis.

TERTIVS MODVS, est unio Sacramentalis, cōstans re terrena & cœlesti, sive verbo & Elemento. Differt autem à Personali hac unione.

I. Sacramentalis unio constat duabus rebus, iam antea & per se subsistentibus, Elemento visibili, & re cœlesti institutionis verbo copulatis. Personalis autem unio, licet & ipsa duabus naturis constet: tamen earum altera (humana nimirum) ante unionem, neque fuit, neque substitit in rerum natura.

II. Unio Sacramentalis temporaria est & solubilis: cessante enim actione Sacramentali: cessat & illa unio: quandoquidem Sacramenta extra usum à Deo institutum, non amplius sunt Sacramenta. Unio autem personalis temporaria non est, sed semel in conceptionis puncto incepta, in omnem æternitatem non amplius solvitur, aut tolli potest.

III. MEMBRVM.

Descriptio Unionis Personalis.

VNIO PERSONALIS, est duarum in Christo naturarum indissolubilis & talis coniunctio, qua æternus Filius Dei, in temporis plenitudine, humanam naturam, in Personæ suæ unitatem, non sine Reali communicatione (salvis tamen utriusque naturæ, proprietatibus substantialibus) assumpsit: atque in ea, non tantum Redemptionis opus absoluit, sed iam quoque per eandem, omnibus ubique præfens creaturis, potenter dominatur.

G 3

In hac

In hac Descriptione unionis sunt porro observanda sequentia notabilia :

I. Quòd unio hæc sit Personalis : hoc est, in qua duæ perfectæ substantiæ uniuntur, non in unam Essentiam aut naturam, sed in unam Personam,

II. Unio hæc naturarum, non immediatè (quasi simpliciter natura naturæ esset unita) sed mediatè facta est, in Persona, dum humana natura Personæ Filii Dei est copulata.

III. In hac unione, neq; unius naturæ in alteram, neque proprietatis unius in aliam, facta est ulla, vel conversio, vel transmutatio, aut naturarum exæquatio. Sed manent naturæ, earumque proprietates distinctæ & inconfusæ.

IV. Facta est hæc unio, in λόγῳ, non in loco : sed extra & supra omnem loci respectum. Modò etiam supernaturali, imperscrutabili : quem subtilissimæ humani ingenii cogitationes assequi non possunt.

V. Arctissima quoque hæc duarum naturarum est unio, & indissolubilis, ut neque morte ipsa, nedum ullius creaturæ potentia, separari possit amplius.

VI. Facta est hæc unio ἀδιασέτως, indistincter (nullam loci intercapedinem aut dimensionem recipiens) ἀδιαίρετως, indivisivè : ut in æternū divelli non possit.

VII. Hæc quoque unio, sine consequente ad eam communicatione naturarum & Idiomatum stare, vel esse non potest : sicuti suo loco probabitur.

IV. MEMBRVM.

Patrum & antiquioris Ecclesiæ Confessiones de unione Personalis.

Ad

Ad uberiores hujus unionis Personalis, descriptionisq; illius explicationem, audiamus Patrum & antiquioris Orthodoxæ Ecclesiæ mentem, qua, quid de unione hac Personali statuerint, declararunt.

ATHANASIVS IN SYMBOLO

suo sic scribit:

Est Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quod
 Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus &
 homo est. Deus est ex substantia Patris, ante secula
 genitus: & homo ex substantia matris, in secula natus.
 Perfectus Deus, perfectus Homo, ex anima rationali
 & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum
 divinitatem: minor Patre, secundum humanitatem.
 Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus
 est Christus. Unus autem non conversione divinitatis
 in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. U-
 nus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate
 personæ. Nam, sicut anima rationalis & caro, unus est
 homo, ita Deus & homo, unus est Christus, qui passus
 est pro salute nostra, descendit ad inferos, &c.

CYRILLUS ALEXANDRINUS

*in Anathematismis contra
 Nestorium.*

I. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Ema-
 nuel, & propterea Dei genetricem, sanctam virginem
 (peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei
 verbum: secundum quod scriptum est; verbum caro
 factum est) anathema sit.

II. Si quis non confitetur, carni secundum Sub-
 stantiam, unitum Dei Patris verbum, unumque esse
 Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum &
 hominem, anathema sit.

G 4

III. Si

III. Si quis in uno Christo, dividit Substantias,
 post unionem, sola eas cōnexionē conjungens, ea, quæ
 secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem aut
 potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem
 factus est naturalem, anathema sit.

IV. Si quis in Personis duabus, vel subsistentiis eas
 voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur & Evan-
 gelicis dividit, vel, quæ de Christo dicuntur à Sanctis,
 vel ab ipso: & aliquas quidem ex his velut homini, qui
 præter verbum Dei, specialiter intelligatur, aptaverit:
 aliquas vero, tanquam dignas Deo, soli Dei Patris ver-
 bo deputaverit, anathema sit,

Notant
Calvinis-
ni, Homi-
nem verac-
iter Deū
esse dicen-
dum.
 V. Si quis audeat dicere, Hominem Christum
 Theophoron, id est, Deiferum, ac non potius Deum es-
 se veraciter, dixerit, tanquam unicum Filium per na-
 turam, secundum quod, verbum caro factum est, &
 communicavit similiter, ut nos, carni & sanguini, ana-
 thema sit.

VI. Si quis dicit, Deum vel Dominum esse Christi,
 Dei Patris verbum: & non magis eundem ipsum con-
 fitetur simul & hominem, propterea quod verbum ca-
 ro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

Arrigite
aures Cal-
viniani.
 VII. Si quis velut hominem Iesum, operante ver-
 bo, dicit adjutum, & unigeniti gloriam, tanquam al-
 teri, præter ipsum existenti, tribuit, anathema sit.

VIII. Si quis audet dicere, assumptum Hominem
 coadorari cum Deo verbo oportere & glorificari &
 connuncupari Deum, tanquam alterum cum altero
 (nam, con, syllaba superadjecta hoc cogit intelligi) ac
 non potius una adoratione veneratur Emanuelem,
 unamq; ei glorificationem dependit, juxta quod ver-
 bum caro factum est, anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum Iesum Christum glo-
 rificatum dicit à Spiritu sancto, tanquam, qui aliena
 virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit effica-
 ciam

ciam contra immundos spiritus, & per eum impleſſe
divina ſigna, ac non potius proprium fateatur ejus ſpi-
ritum, per quem divina ſigna explevit, anathema ſit.

X. Pontificem & Apoſtolum Confessionis noſtræ
factum eſſe Chriſtum, divina Scriptura commemorat.
Obtulit enim ſemetipſum pro nobis, in odorem ſuavi-
tatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apoſto-
lum noſtrum alium dicit factum, præterquam ipſum
Dei verbum, quando caro factum eſt & homo, juxta
nos homines, ſed velut alterum, præter ipſum, ſpeciali-
ter hominem ex muliere: aut qui dicit, quod pro ſe ob-
tulit ſemetipſum oblationem, & non potius pro nobis
ſolis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino
neſcivit) anathema ſit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini vivifi-
catricem, & propriam ipſius verbi Dei Patris, ſed velu-
ti alterius præter ipſum, conjuncti eidem ſecundum
dignitatem, aut quaſi divinam ſolam habentis habi-
tationem, ac non potius vivificatricem eſſe, quia facta
eſt propria verbi, cuncta vivificare valentis, anathema
ſit.

XII. Si quis non confitetur, Dei verbum paſſum
carne, & crucifixum carne, & mortem carne guſtaſſe,
factumq; primogenitum ex mortuis, ſecundum quod
vita eſt, & vivificator, ut Deus, anathema ſit.

*Confefſio Synodi Chalcedonenſis, de
hoc myſterio, ſic habet.*

Sanctos Patres ſequentes, unum & eundem confi-
temur Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:
& concorditer docemus omnes, eſſe eum perfectum in
divinitate, & eundem perfectum eſſe in humanitate:
Verum Deum & verum hominem, eundem ex anima

G 5

rationali

rationali & corpore. Coessentialem Patri, secundum
 divinitatem : & coessentialem nobis, secundum huma-
 nitatem : per omnia nobis similem, dempto peccato :
 postremis vero diebus propter nos, & propter nostram
 salutem, ex Maria virgine & Deipara, secundum huma-
 nitatem, unum & eundem JESUM CHRISTUM,
 Filium Dei, Dominum & unigenitum, in duabus na-
 turis inconfuse, inconvertibiliter, indivulse, & inse-
 parabiliter manifestatum : haudquaquam differen-
 tia naturarum, propter unitatem sublata: sed magis
 utriusq; naturæ in Personam & unam hypostasin con-
 currentis, proprietate servata : non ut in duas Personas
 bipartiatum aut dividatur: sed ut sit unus & idem fi-
 lius unigenitus, Deus verbum, & Dominus Jesus Chri-
 stus : sicut olim Prophetæ, de ipso vaticinati sunt, &
 ipse nos Christus instruxit, ac Patrum nostrorum Sym-
 bolum tradidit.

V. MEMBRUM.

*PATRUM ET ANTIQUIORIS
 Ecclesiæ similia, quibus Unio-
 nem Personalem decla-
 rarunt.*

Perquam etiam utile est, ad meliorem hujus tan-
 ti Mysterii declarationem, Similia cognoscere, quibus
 S. Patres, unionem hypostaticam duarum in Christo,
 Divinæ & Humanæ naturarum, explicarunt & illu-
 strarunt. Ex quibus tam ipsa unio, quam communi-
 catio, ad eam consequens, declaratur. Quia autem
 omne simile (quod vulgo fertur) claudicat, primo si-
 milia producamus, deinde, in quibus similia illa ab
 unione

unione Personali discrepent, postremo, in quibus conveniant, docebimus. Præcipue autem tribus usi sunt S. Patres Similibus.

PRIMA Similitudo, est Iustini, de Luce & Sole; ea sic habet: Legimus Genes. 1. primum à Deo lucem, sine materia aut corpore creatam: quarto vero demum die creatum Solem, cum & in quo primigenia hæc incorporea & immateriata Lux, quasi incorporata, & materiata facta est. Sunt autem duæ distinctæ naturæ, Lux ipsa incorporea, & globus Solis, corporeus, aspectabilis. Pariter in Christo est Divina & Humana natura, quarum hæc corporea, & in tempore assumpta; illa incorporea, spiritualis, ante humanam naturam, ab æterno existens, splendor nimirum ille gloriæ Patris, Hebr. 1. Hæ duæ naturæ in Christo unitæ sunt in unam Personam & hypostasin, ut unus sit Filius, qui simul & Dei, & Hominis, Filius vere dicatur: unus videlicet Sol ille iustitiæ, Malach. 4. Deinde, quod Solis corpus lucet, id à semetipso non habet, sed beneficio unionis cum primigenia illa præexistente luce, quæ in hac unione, lucem & radios suos, quin & se ipsam, Solari corpori communicat, & per corpus illud porro lucem & radios suos effundit. Ita, in Christo, Humana natura, in se & per se nihil habet divini, illustratur autem & fit vivifica, virtute divinæ naturæ, sibi unitæ, qui in hac unione seipsam & sua Idiomata carni suæ communicat, & cum ea, & per eam, vitam & omnia operatur.

SECUNDA Similitudo, est Basilii, Cyrilli, & Damasceni, de machera ignita, vel ferro aut carbone ignito: ubi ignis, ferro vel carboni, in unione illa lucendi & urendi suam vim communicat.

TERTIA, Athanasii est, desumpta ab unione animæ & corporis in homine: in qua anima per totum corpus

pus

pus diffusa, suas facultates corpori organico communicat, & per illud easdem exerit, & operatur.

Antequam autem ad applicationem harum Similitudinum accedamus, eas similitudinum partes, quæ ad hoc mysterium non quadrant, removeamus. Quantum enim utilitatis adferunt similitudines dextre acceptæ, tantum etiam erroris pariunt, si latius, quam par est, diducantur. Non autem opus est, ut enumeratas tres similitudines seorsum tractemus: quod enim de una dicitur, de aliis recte etiam intelligi potest. Igitur eam, quæ ab unione animæ & corporis desumitur, tanquam notiozem, tractandam nobis sumamus. Ea autem non congruit cum unione Personali in sequentibus.

I. Anima & corpus sunt duæ substantiæ, quæ per se (post resolutionem per mortem) subsistunt. Humana autem natura non per se, sed in λόγῳ subsistentiam suam habet.

II. Animæ & corporis unio solubilis est: Personalis nequaquam.

III. Animæ & corporis unio, facit tertium perfectum, quod horum neutrum est: id non competere in unionem personalem, supra in primo unionis Physico modo dictum est.

IV. Quando laceratur corpus, simul patitur anima & afficitur, quod in Divinitatem, quæ impatibilis est, non cadit, etsi in concreto recte dicatur, Deum esse passum.

V. Anima & corpus, finita sunt & creata: quod de altera Christi natura, divina videlicet, dici non potest.

VI. Anima dici solet forma corporis: Divinitas vero in humana sua natura, non est, quemadmodum forma in sua materia.

In qui-

In quibus verò conveniunt Similitudines hæ, & ad mysterij de unione Personali declarationem faciunt, hæc sunt.

I. Sicuti ex duabus diversis naturis, Spirituali & corpora, hoc est, anima & corpore non duo constituuntur homines ita ex duabus diversis naturis in Christo, divina & humana, non duo, sed unus Christus, non duæ, sed una Persona, constituitur.

II. Anima & corpus, in unione sua, naturas & Idiomata sua Essentialia, actionesq; proprias inconfuse retinent, fitq; earum nulla confusio, exæquatio, aut transmutatio: ita etiam utraque natura in Christo retinet suas proprietates Essentiales, sine confusione, Exæquatione, aut permutatione (qualem Eutyches finxit) sed sunt & manent inter se distinctæ.

III. Ad constitutionem hominis, non requiritur altera tantum Substantia, vel solius animæ, vel solius corporis, sed utraque simul, anima nimirum & corpus: ita ad constituendum CHRISTVM, utraq; concurrat natura, necesse est: neque post incarnationem Christus sine carne sua, totus dici potest.

IV. Unio animæ cum corpore, non fit per nudam assistentiam vel attingentiam, multò minus ut pars animæ esset extra corpus, sed tota est in toto corpore. Ita λόγος carni suæ est unitus, non ut assistat ei tantum aut contingat, quemadmodum (ut similia volunt Calvinianorum) Oceanus Antuerpiam attingit, multò vero minus, ut partim intra, partim extra carnem sit: neque eo modo, quo in Sanctis est. sed (ut Paulus dicit) in ipso (Homine Christo) inhabitat tota Divinitatis plenitudo corporaliter (& personaliter) Coloss. 2.

V. Sicuti

1. Pet. 4.
Rom. 9.

V. Sicuti ea, quæ animæ & quæ corporis sunt propria, propter unionem tribuuntur uni ac toti homini; & tamen, quia naturæ confusæ non sunt, ostenditur, cuius naturæ singula sint propria. Ita, Propria unius naturæ, in unione personali, toti tribuuntur Personæ; addita determinatione tamen, cuius personæ ea sint propria: Deus (exempli gratia) passus est in carne. Christus ex patribus: secundum carnem.

6. Sicuti anima agit cum communicatione corporis: ita una natura agit cum communicatione alterius: & unio Personalis, non est sine Communicatione naturarum & proprietatum.

7. Sicuti inter animam & corpus REALIS, non verbalis aliqua, quæ tantum esset secundum dici, Communicatio intercedit, & manifestè videtur & sentitur: (quod maximè etiam in ferro ignito conspicuum est) ita & quæ ex Personali unione, Naturarum & Idiomatum communicatio oboritur, non verbalis, sed REALIS est.

VI. MEMBRVM.

DE PHRASIBVS SCRIPTVRÆ, quibus ea Vnionem describit.

Hisce præmissis, Phrases, quibus Scriptura sacra, in describenda Personali unione utitur, facilius intelliguntur: Eæ autem ferè hæ sunt.

1. Ο λόγος σὰρξ ἐγένετο: Verbum caro factum est, Ióan. 1.

2. Filius Dei γενόμενος, factus seu natus ex semine David, Rom. 14.

3. Cūna

3. Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, *γεγόμενον*, seu factum, vel natum ex muliere, Galat. 4.
4. Filius Dei, participavit, seu communicavit carni & sanguini, Hebr. 2. Hæc autem communicatio in Græco textu per *μετοχήν & κοινωσίαν* effertur.
5. Filius Dei venit in carnem, 1. Ioan. 4.
6. Deus manifestatus est in carne, 1. Tim. 3.
7. In ipso inhabitat **TOTA PLENITUDO** Divinitatis **CORPORALITER**, Colofs. 2.
8. Filius Dei assumpsit semen Abrahæ, Hebr. 2.

Hæc ferè sunt, quæ in descriptione Personalis unionis producenda fuerunt: quæ etiam fusiùs aliquantò explicare oportuit, quia fundamentum Disputationis de Persona Christi, in unionis personalis descriptione situm est. Si enim, qualis sit naturarum & Idiomatum Communicatio, scire voluerimus, eam ex unionis personali discere opus habemus: cùm qualis ipsa est unio, talis etiam sit communicatio. Conferamus igitur nos nunc ad Controversias, de Communicatione Naturarum & Idiomatum.

CAPUT V.

Continens de Communicatione Naturarum, & Idiomatum tractationem generaliore.

DE Communicatione Naturarum, earumq; Idiomatum tractaturi: distinctionem primò præmittamus

mittamus trium Communicationis generum ; dehinè de modo factæ Communicationis aliquid dicemus: postea autem ad tractationem Controversiarum cum Calvinianis accedamus. Præbet enim Quæstiones, de generibus & modis Communicationis, instructionem solidam, quæ præmonitus Lector Paralogismos Adversariorum faciliùs agnoscere, & commodiùs ad eos respondere potest. Et, cum confusiones rerum distinctarum tenebras & errores pariant, & omnibus rebus, in omnibus facultatibus & artibus, perspicuæ certè distinctiones, tanquam lux, adhibitæ, facile tenebras & errores repellere potuerunt. Sunt autem Quæstiones (partim sine adversario, partim cum adversario tractanda) quatuor videlicet.

1. Quot sint Communicationis genera.
2. Quis sit Communicationis factæ modus.
3. Vtrùm Communicatio Naturarum & Idiomaticum, sit realis, an verbalis.
4. Vtrùm humanæ naturæ creata solum finita hyperphysica, an vero divina dona & Idiomatica sint communicata,

PRIMA QUÆSTIO.

De tribus generibus Communicationis.

EVÈRE inter Adversarios, qui unum tantum Genus admiserunt: sentientes, quidcunq; tandem de Persona enunciaretur, id semper ad alteram tantum naturam (cuius id proprium) esse referendum. Inde nata apud Zwinglium Aëosis, qua, quicquid uni natura

natura

natura tribuitur, quod tamen eidem proprium non est, ad alteram, cuius proprium est, transferatur: ut, Caro Christi est vivifica: hoc est (secundam Zvvinglii Theologiam) λόγος (altera natura Christi) est vivificus. Deus est Homo, id est, humana Christi natura est homo. Homo est Deus, id est, Divina natura est Deus. Et, nisi alia accedat Communicatio, certè omnis realis naturarum & Idiomatum sublata erit Communicatio. Sunt &, qui duo Communicationis genera concedant, Primum & Secundum, Tertium autem (licet in sacra Scriptura optimè fundamentum) respuunt. Sed tria illa Communicationis Genera nunc enarremus.

PRIMUM Genus Communicationis dicitur, quando propter unitatem Personæ, quod alterius naturæ proprium est, toti Personæ tribuitur: ne tamen id alterius naturæ proprium videatur, determinatio si-ve restrictio adiungitur, secundum quam naturam id dicatur, vel cuius naturæ id sit proprium: ut, Filius Dei est ex semine Davidis, SECUNDVM CARNEM, Roman. 1. Deus passus est (sed) IN CARNE 1. Pet. 4. Christus mortificatus est CARNE, 1. Pet. 3.

SECUNDVM Communicationis Genus dicitur; quando Persona secundum utramque naturam agit, concurrente utraque natura, seu quando in actionibus officii una natura agit cum Communicatione alterius, quod cuiusque proprium est: Et hoc genus cō-
H
plectū.

plectitur omne id, quod ad officium Christi spectat. Est enim Christus noster Mediator, Pontifex, Prophe-
ta, Rex, Sacerdos, &c. Non secundum unam solum
modo, vel alterutrum, sed secundam utramque natu-
ram. Ideo hoc secundum Genus fundamentum est re-
ligiosæ adorationis carnis Christi: quia eum, ut Media-
torem, Sacerdotem, Regem & Caput nostrum (quæ
omnia factus est nobis secundum utramque naturam)
veneramur & glorificamur.

TERTIUM Communicationis Genus exprimit,
quid Divina natura, Humanæ suæ assumptæ naturæ,
ultra suas creatas proprietates, & habitualia dona com-
municando contulerit, eamque perfectiorem reddide-
rit: ut, quod Humana natura dicitur facta vivifica, ac-
cepisse potestatem iudicii, omnem potestatem in coelo
& in terra, omnia scire, ubique præsens esse & domi-
nari. Differt autem hoc tertium Genus à primo: quod
in primo Genere, licet humanæ naturæ propria de di-
vina natura in Persona efferantur: Divina tamen na-
tura, nihil, neque perfectionis, neque imperfectionis ac-
cipit. In hoc tertio genere autem, Humana natura à Di-
vina accepit gloriam, & ab ea perficitur. Deinde, in
primo genere Communicatio quidem est Realis, sed
addimus, eam fieri in Persona, non in altera etiam, Di-
vina scilicet natura, hoc est, ut in abstracto de Divini-
tate prædicentur. In tertio verò genere, fit communi-
catio maiestatis realiter, non in Persona tantum, sed in
assumpta natura, sicuti ferro ignito communicatur vis
lucendi & urendi, sine confusione, conversione, &c.
Verè tamen & realiter.

Tria autem licet sint distincta Communicationis
genera possunt tamen in sequenti definitione Com-
municationis includi omnia, videlicet: ut sit Commu-
nicatio nihil aliud, quàm vera & realis Prædicatio,
qua vel Humanæ naturæ propria, Filio Dei: vel
propria

propria Divinæ naturæ, assumptæ naturæ Humanæ: vel denique officia Salvatoris, Christo secundum utraq̃ue naturam, verè & realiter attribuuntur. Et hæc de tribus Communicationis generibus, quæ diligenter distinguenda, neque confundenda sunt.

QVÆSTIO SECUNDA.

De modo factæ Communicationis.

Communicationem non intelligimus Essentialem, qualis est illa, qua Pater Filio divinam Essentiam & Maiestatem communicat. Neque statuimus exæquationem, confusionem aut abolitionem humanæ naturæ, per Communicationem: sed statuimus, Christum equalem Patri, secundum divinam naturam: minorem verò Patre, secundum humanam naturam. Neque etiam transfusionem aliquam statuimus, qua humana natura I N S E divino Idiomata habere diceretur, ex Communicatione: multò minùs, quòd in divinam transmutaretur. Sed statuimus, fieri hanc Communicationem, ratione &

Hæc

dispens

dispensatione unionis PERSONALIS, si-
ve HYPOSTATICAE. Ideoq; neque dici-
mus, fieri Communicationem, primò, per se,
aut immediatè, sed MEDIATÈ, median-
te nimirum unione Personali.

Quod autem Communicationem Idio-
matum divinorum attinet, eorum in Com-
municatione, non eadem omnium & singu-
lorum est ratio. Etsi enim rectè dicitur, di-
vina Idiomatica nihil aliud esse, quàm ipsam
divinam Essentiam; & Idiomatica sive at-
tributa Dei à se invicem separabilia non esse:
tamen divinorum attributorum, alia est con-
sideratio in Deo (quasi ad intra) alia cum re-
feruntur ad creaturas, quasi ad extra. Sunt
enim quaedam divina attributa, quibus di-
vina Essentia quasi extra se, ἐνεργεία, sive o-
peratione quadam ad creaturas egreditur,
& inde quasi actu secundo (dum in creaturas
operantur) intelligi, describi & distingui pos-
sint, ut bonitas, iustitia, vita, maiestas, glo-
ria, &c. Alia sunt Deitatis attributa, que
quasi intra ipsam Essentiam manent, neq; pe-
culiaribus ἐνεργείαις, sive operationibus in
creaturis

creaturis ad extra se proferunt, ut illis tan-
 quam actu secundo describi possent: qualia
 sunt eternitas, infinitas, immensitas, & quod
 est spiritualis Essentia, &c. Cum igitur Com-
 municatio Maiestatis in Christo ἐνεργεία de-
 finiatur (quod videlicet divina natura hu-
 manam perficiat, & per eam operetur) rectè
 (ISTHOC RESPECTU) sine distractio-
 ne attributorum Divinitatis IN SESE,
 sed RELATIONE AD EXTRA,
 quedam attributa (ἐνεργητικῶς) esse com-
 municata humana nature, negantur: ita vi-
 delicet, ut non facta sit ea aeterna, immensa,
 infinita, Essentia spiritualis. Et tamen, qua-
 tenus λόγος totam plenitudinem Deitatis
 sue personaliter hypostatica unione commu-
 nicavit assumptæ nature, nihil certè (ea ra-
 tione) prætermisit incommunicatum, præser-
 tim cum Idiomatica seu attributa eternita-
 tis, immensitatis, &c. inseparabili nexu
 cum reliquis attributis divinis cohereant.
 Observandum ergo, ratione unionis Personæ
 līs, qua totus λόγος carni est unitus, etiam o-
 mnia divinitatis Idiomatica & attributa esse

H 3

commu-

communicata: ratione verò εὐεργετίας, non omnia, sed tantum, quæ ad perficiendum naturam humanam necessaria erant, esse communicata. Hæc distinctio, diversitatis in Communicatione Idiomatum, valde est necessaria, & dabitur postea locus, ubi ad respondendum objectionibus Adversariorum, hæc, quæ de hæc distinctio dicta sunt, magno nobis usui futura sunt.

Realem autem dicere consuevimus Communicationem, ut indicemus, nos non statuere Communionis modum, qui præter nullam loquendi formulam, humane nature nihil conferat: sed esse modum, quo quæcunque communicantur, re ipsa & reuera sint communicata. Sed de Reali Communicatione plura, in sequenti Quæstione.

QUESTIO TERTIA.

De Reali & Verbali Communicatione.

Eousque cuiusdam Iesuitæ, Ioannis Busæi, furor progressus est, ut in Apologetica sua, contra Reverendum & Clariss. virum D. D. Gerlachium (Præceptorem meum omnino obser.

*observantia dignissimum) Disputatione, in
 hac verba prorumpere fuerit ausus: NEC
 RE, NEC NOMINE, IN PER-
 SONA CHRISTI, AUT
 COMMUNICATAS ESSE,
 AUT COMMUNICARI PO-
 TUISSE, VICISSIM, NA-
 TURAS EARUMQUE PRO-
 PRIETATES. Quid autem, rogo
 te, benigne Lector, aliud Buseus Iesuita aut
 dixit, aut scripsit, nisi quod olim Samosate-
 nus & Nestorius: quorum fuisse hanc ipsam
 sententiam, Suidas, Theodorusq; Presbyter
 Rhetor, testantur, quod videlicet statuerint:
 τὰς δύο φύσεις ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς καὶ
 τὰ πᾶσι: hoc est, duas naturas (in Christo) ad-
 invicem (sive vicissim) incommunicabiles
 esse omnino. Rectissime igitur, Dominus D.
 Lutherus, p. m. praedixit, in Pontificia doctri-
 na Nestorianismum delitescere. Videant
 Calviniani, quā bellos fraterculos in hac sua,
 contra Christi Majestatem, causa conjunctos
 sibi habeant. Etsi autē (quod ego sciam) Calvi-
 niani eò audacia hucusq; non sunt progressi:*

H 4

TAMEN

tamen nec refutare hanc Iesuitarum blasphemiam unquam voluerunt. Et, vel hoc exemplo (de communicatione) satis constat, Iesuitas & Calvinianos, in uno ludo literario edoctos, ex Scholasticorum lacunis putridis, suas hausisse opiniones, sicuti id ex Petro Lombardo, ejusq; Commentatoribus, praesertim, è Thoma de Aquino, demonstrari posset. Quod igitur in superioribus capitibus semel atq; iterum monuimus, Calvinianos, Pötificium aliquod fermentum in sinu fovere: id etiam occasione praesentis materiae, in memoria retineat Lector. Quod autem Iesuita nullis usi ambagibus aperte fatentur: id ipsum quoque Calviniani, sed paulo cautiore lingua, non diffitentur: dum quidē videri volunt, quasi communicationem naturarum non negarent, interim tamen eam Realem esse, admittere nolunt, sed verbalem, secundum modum loquendi, ubi nominum Communio tantummodo locum obtineat, contendunt. Hinc admittunt quidem has Predicationes, Deus est homo: &, Homo est Deus: mox autem, quod dextra largiebatur, sinistra surripiunt,

non realiter hominem pro homine, Deum pro Deo, sed è converso sic explicando: Homo est Deus, id est, Deus, habens humanitatem, est Deus: ita, Deus est homo: id est, homo est homo. Præterquam autem, quod identitatē & Tautologiam non ferendam introducunt, revera nihil aliud volunt, quam præter nudum nomen, nihil (quod prædicatur) REIPSA ei nature, de qua prædicatur, communicari. Christum igitur hominem, non aliter Deum dici volunt, quam cum Doctor Juris, Theologia, aut Medicina, uxorem sibi copulat: quæ quidem (ob hoc conjugium) vocatur Domina Doctorissa, (Frau Doctorin) sed revera, nihil cum viri sui scientia Theologica, Iuridica, aut Medica commune habet, neque ei vel in Ecclesia docendi, vel in foro causas agendi, aut apud ægros, curandi locus conceditur. Nos autem econtra hanc verbalem communicationem detestamur: Realem autem sequentibus firmissimis rationibus adstruimus.

Simile: quo declaratur Calviniana verbalis communicatio.

Qualis est unio (ait Nazianzenus) talis est & communicatio. Sed unio (quod, nisi rectà ad Mahometi castra transilire velint Adversarii, negabunt nunquam)

H s

quam)

quam) est Realis, non verbalis. Ergo & communicatio sit Realis, nec verbalis, necesse est.

I. I. Negata Reali communicatione, unionis Personalis natura solvitur, ejusq; proprietates.

I. Si per communicationem realem, naturæ de se invicem realiter non prædicentur: quid aliud hoc est, quam quasi prædicationes fierent de naturis, per se & seorsim (sine alterius communione) subsistentibus? quod sane Nestorianum esset.

II. Cum (ut supra declaratum est) hujus unionis modus sit omnium modorum supremus: an non hoc est, negata reali cōmunicatione, hanc unionem in infimum Physicum unionis modum, qui præter attingentiam nihil habet commune, redigere, & extra propriam sedem suam, unionem emovere velle?

III. Ad Realem communicationem docendam, similia supra (cap. 4. Membro 1.) allegata faciunt, quæ ad Realem communicationem monstrandam à Patribus fuerunt introducta. Sic enim Solis & Lucis, ferri & ignis (& lucis & caloris in igne) animæ & corporis, non verbalem, sed Realem esse communicationem, oculi & sensus externi testantur

IV. Realem, neque verbalem communicationem, Redemptionis nostræ & salutis æternæ firmitas evincit, & requirit. Nisi enim naturis in Christo Realis communicatio intercedat, Redemptio nostra titubat. Sanguis enim Filii Dei effusus, non plus ponderis, ad nostram perficiendam redemptionem habet, quam ex unione Personali, & consequuta inde communicatione acquisivit: quod si ergo communicatio verbalis est, tum effusio sanguinis & mors Christi, non revera, sed tantum secundum dici, & verbaliter pondus & efficaciam habebit. Verbaliter igitur Filius Dei est passus, verbaliter mortuus, non nisi verbaliter (nec revera) Dei sanguis pro nobis effusus: in summa, verbalis erit nobis & otiosus

otiosus Christus, verbale illius meritum, verbalis salus nostra, & totus tandem Christianismus verbalis erit: sicque nemo unquam (quandoquidem non nisi DE I SANGUINE redimi potuimus) de salute sua, certus esse poterit, omnisq; nobis consolatio eripietur.

Hinc Scriptura (ad nostram consolationem scripta) ita de Christo, de passione, morte & sanguine ejus loquitur, ut Realem communicationem confirmet, & præsupponat, verbalem autem eliminet: Qualia sunt hæc dicta:

I. Tu es Filius Dei viventis, dicit Petrus de Christo, idq; non ex carne & sanguine, sed ex revelatione Patris cœlestis, Matth. 16.

II. Sanguis Filii Dei (vide communionem realem Filii Dei cum sanguine fuso) emundat nos ab omni peccato, 1. Joan. 1.

III. DEUS passus est IN CARNE, 1. Pet. 4.

IV. DEUS SUO SANGUINE REDEMIT SIBI ECCLESIAM, Actor. 20.

V. Pater (dicit Angelus Mariæ) Filium, & vocabis nomen ejus Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Item: Sanctum, quod NASCETUR, Filius DEI vocabitur, Luc. 1.

VI. Sic: DOMINUS GLORIÆ, non nudus homo, à Judæis crucifixus esse dicitur, 1. Cor. 2.

Ad negatam Realem communicationem, quivis tetri & abominandi errores de Persona & officio Christi sequuntur.

I. Ex negatione enim Realis communicationis, Nestorius prolapsus est in hunc errorem, ut alterum & alterum statueret (hoc est, duas personas) quorum alter Deus, alter homo; & neuter cū altero in Persona quicquam haberet commune. Is, si credidisset Realem communicationem, in eum errorem, quem fovit, nunquam devenisset. Et ex Anathematismo Cyrilli octavo pa-

tel,

V.

VI.

tet, quod cōnuncupationem utriusq; naturæ statuerit: quæ cōnuncupatio quid differat à verbali communicatione, qui videre vult, acutum cernat, necesse est.

II. Desperationi (dum officium Christi ejusq; virtus elevatur) datur locus, ut Argumento præcedente monuimus.

III. Et, qui communicationem negat Realem, facile per gradus potest ad negandū Christum descendere.

Vide Prefationem D. D. Gerlach. Cōstantinopoli viventi, suæ Apostasiæ causas hisce verbis Assert. „ bis retulit: Cum disputaretur (inquirebat Neuserus) de cōtra Rus. „ Persona Christi, se NULO MODO probare potuisse, Anno „ doctrinam Lutheri & Brentii, de REALI COMMUNICACIONE Idiomatum divinorum. Et, hujus Disputationis ansa, se cœpisse animo voluere, quod FILIUS MARIÆ nō possit esse VERUS DEUS, QUANDO QUIDEM NULLA REALIS COMMUNIO IPSI CUM DEO SIT. Cogitasse enim se, de illo principio: Finitum, non est capax infiniti: Item, inter finitū & infinitum, nulla est Proportio. Hæc & alia, se sibi & familiaribus opposuisse: cumq; nemo esset, qui animo suo satisfaceret, firmum & ratum sibi fuisse, quod Christus tantum homo, & excellens Doctor fuerit, qui virtute & gratia, antecedentes omnes superaverit, &c. Fuit hic Adamus Neuserus Theologus, & in Palatinatu Heidelberg. Ecclesiæ Pastor, qui à Calvinismo, ad Antitrinitarios & novos Arianos, ab hisce ad Mahumetismum & Turcismum prolapsus est. Notum est etiam Responsum, quod, antequā ex carcere elaboreretur, Domino Electori, cum is ab illo defectionis causam sciscitaretur, dedisse fertur: NISI (dicebat) CALVINIANUS FACTUS ESSEM, EO NON DEVENISSEM. Hoc exēplum docet, quales cogitationes oriri possint, in cordibus illorum, qui, Calviniano dogmate dementi,

tati,

tati, Realem naturarum & Idiomatum communicationem negant.

Contra inferunt Adversarij.

I. Si vocabulum communicationis in S. Scriptura non continetur. Ideoq; ab eo in hac Disputatione est abstinendum.

Argumentum pontificium.

Respondeo 1. negatur antecedens. Licet enim hoc ipsum vocabulum (quoad literas & syllabas) in Scriptura non contineatur: Tamen res ipsa, Realis nimirum communicatio, revera & reipsa, vel (ut Iureconfulti loquuntur) de facto continetur: cum caro Christi dicitur vivifica, omnem habere potestatem, potestatem etiam iudicij: quæ omnia, sicuti, humana natura ex seipsa non habet, ita non aliunde, quam per communicationem dispensatione unionis accipere potuit.

2. Vocabulum κοινωνίας, seu communicationis, non uno in loco habetur in Scriptura. Credentes (inquit Petrus) κοινωνοί, participes facti sunt, divinæ naturæ (2. Pet. 1) Sanctis credentibus κοινωνία τῷ ἁγίῳ πνεύματι, communicationem Spiritus sancti esse, Paulus dicit (2. Corinth. 13.) neque dubium est, quin ex hisce & similibus locis, sancti Patres, hoc communicationis vocabulum ad præsens negotium transumpserint. 2. Ludunt etiam atque etiam Adversarij ambiguitate, in vocabulo (contineri) dum in antecedente contineri significat, secundum literam contineri: in Maiore autem (in hoc Enthymemate omissa) prorsus non, neque ad literam, neque ad sensum contineri. Hinc quatuor sunt termini in Argumento.

II. Voca-

II. Vocabulum (REALIS) & novum est, & ad pacem constituendam minimè idoneum: ideoq; omittendum.

Respondeo. 1. Vbi res ipsa nova non est, ibi nec novitatis argui possunt, aut debent vocabula, per quæ res exprimuntur. Re ipsa autem naturarum & Idiomatum in Persona Christi factam esse communionem, & probatum est, & in sequentibus clariùs probabitur. 2. De turbata pace, quod dicunt Adversarii, non in causa est hoc vocabulum, sed res ipsa, realis nimirum Communicatio, verbali opposita, quam infestis armis oppugnant Adversarii. 3. Et, quia lubricus est spiritus Calvinisticus, latebras sibi quærens in verborum Strophis, subindè, ut, quod corde sentit, ore depromat, eiusmodi vocabulis in lucem protrahendus est. Ad quem usum & Patres, vocabulum ὁμοῶσι & usurparunt contra Arianos (id vocabulum hostiliter impugnantes) & retinuerunt etiam.

III. Qui Realem infert Communicationem, transfundit & confundit naturas, & earum proprietates, & exæquationem inducit. Hoc faciunt Lutherani. Ergò, &c.

Respondeo. 1. Maior constat manifesta calumnia, sicuti supra in negativis Formulæ Concordiæ propositionibus, est declaratum. Realem enim propterea dicimus, quia essentialis aut naturalis sit, sed hypostatica, quæ non secundùm dici, sed secundùm esse fiat. 2. In vulgari sermone Reale opponitur fictitio & imaginario: neque aliud volumus hoc vocabulo, quàm quod Græci dicunt, ὄντως, ἢ τῶ ὄντι quod vera ita se habet, vel (ut Athanas. loquitur, Dial. 5.)

ἴκατ᾽

Ἐκαστὸν φαντασίαν μόνον τὸ κοινὸν ὄνομα ἔχον,
 quod non secundum phantasiae solummodo commu-
 ne nomen habet. 3. in ferro ignito, fit realis ignis &
 ferri communicatio: neque tamen transfusio, confu-
 sio, aut exæquatio sequitur: qua igitur de causa ne-
 cesse sit, in Idiomaticum & naturarum Reali commu-
 nicatione, transfusionem, exæquationem, aut confu-
 sionem sequi, nulla apparet ratio.

*IV. Quicquid realiter alteri alicui commu-
 nicatur, eo ipso fit proprium Essentiale illius
 alterius, cui communicatur. Sed per Realem
 communicationem, propria divina naturæ tri-
 buuntur naturæ humanæ. Ergo, per Realem
 communicationem propria divina, fiunt propria
 Essentialia humanæ naturæ. Quod est absur-
 dum.*

Respondeo. Negatur maior: ignis enim ferro
 communicat vim lucendi & urendi, neque propterea
 hæc vis propria efficitur ferri. Communicat animæ
 oculo vim videndi, neque tamen vis illa, oculi pro-
 pria efficitur: alioquin anima è corpore egressa, nihil-
 hominis videret oculus. Spiritus sanctus communi-
 catur (ut in Responsione ad primam obiectionem di-
 ctum) credentibus neque tamen illorum fit proprius.
 Nihil ergo sequitur.

*V. Proprium (inquit Beza in Colloq. Monta-
 belg.) si alteri communicetur, iam non est pro-
 prium, sed commune, &c.*

Respondeo negatur. Et est argumentum eiusdem
 farinae cum præcedenti, una igitur solutione diluitur.

VI. Si

VI. Si Realis fiat communicatio, natura humana convertitur in divinam. Sed posterius est falsum, ergo & prius.

Mutuati sunt hoc argumentum Calviniani & Pontificii, qui ex communicatione corporis Domini cum pane in Cena, transsubstantiationem effingere conantur.

Busai argumentum.

Fallacia ignorantionis crasse, non ignorantionis Elenchi.

Respondeo. 1. Si hoc statueremus, nihil de communicatione (quæ ab Essentiali unione longissimè distat) diceremus. 2. Denuò ad suprà allegata similia ablegamus Adversarios neque enim ferrum in ignem, corpus in animam convertitur, sed stante & manente integra utraque natura, & utriusque proprietatibus, utriusque fit communicatio. Id si fiat in rebus naturalibus, quantò magis id præstare poterit Filius Dei in sua carne? sed opponendum est Adversariis, id, quod Christus Nicodemo objicit: Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia creditis? Ioan. 3.

VII. Natura divina, una numero ac singularis, non verbi Dei propria, sed communis est tribus divinis Personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto. Si igitur illa realiter est communicata humanitati: planè sequitur, & tres personas eidem communicatas ac incarnatas esse.

Respondeo. 1. Crassissima hæc est rerum Theologicarum ignorantia. Omnibus enim Theologis constare debet, non naturam divinam absolutè (quatenus ea tribus Personis Trinitatis communis est) sed relatè & determinatè sumptam (genitam videlicet) esse incarnatam. Quod si Adversarii ignorant, dedecus est: si sciunt, & nihilominus sic argumentantur, malitia insignis est. 2. Hac porro ratione etiam unio neganda esset, si hoc valeret argumentum, quia pariter sequere-

sequere-

sequeretur, & tres personas carni Christi personaliter unitas esse quod est absurdum. Quod, cum vident Adversarii, hoc argumentum non valere in unione personali, cur ergo id alicuius momenti faciunt, in communicatione Reali, quæ ex illa unione consurgit? 3. Fallaciam igitur committunt ambiguitatis, dum naturam divinam, nunc absolutè, nunc relatè sumptam, inter se confundunt.

VIII. Si humanitas Christi, ratione Realis communicationis, rectè dicitur omnipotens, omnisciens, Deus (eâdem omnipotentia, qua Deus est Deus, & dicitur omnipotens) tum rectè eadem humanitas, & Veritas & omnipotentia dicitur. Sed falsum est posterius, ergo & prius.

Respondeo: Negatur Antecedens. Nam & in natura rerum, non quicquid alteri communicatum est, ob id de illo in abstracto prædicatur: ut, quia Deus Salomoni Regi sapientiam communicat, sapiens quidem, sed non sapientia propterea dicitur Salomon. Quare ergo hæc ratio consequentiæ, quæ vel in natura ignoratur, necessitatem aliquam in hoc mysterio inferat, non videmus.

IX. Pater, in sacrosancta Trinitate, divinitatem Filio & Spiritui sancto realiter communicat: Filius autem & Spiritus sanctus, non modo omnipotens dicitur, sed & sua omnipotentia. Pariter propter Realem communicationem (si ea facta esset) & humana natura non tantum omnipotens, sed omnipotentia esset dicenda. Quod,
I
quia

quia non datur, apparet, neque Realiter ei omni potentiam communicatam esse.

Respondeo. Mirabilis est terminorum confusio. Loquimur nos de unione Personali, Respondent Adversarii de unione Essentiali, quam longissimè ab unione Personali distare, præcedenti capite monstratum est. Ita & de communicatione: loquimur nos de ea, quæ unionem Personalem: illi verò de ea, quæ Essentialem sequitur. Argumentari autem ab unione & communicatione Essentiali, ad Personalem, quæ toto genere diversa est, non est aliud, quam ἀνακόλυστα neciter, & quatuor inferre terminos.

Q V A R T A Q V Æ S T I O.

Cuiusmodi sint illa Idiomata, quæ humanitati Christi communicata esse, Scriptura perhibet.

Preterquam, quod Realem communicationem naturarum negant Adversarii, & verbalem esse, eam contendunt; insuper & omnia ea, quæ ex unione Personali per Idiomatum communicationem, in humanã Christi naturam, in Scriptura collata esse leguntur, in creata, & finita dona convertunt: negantq; simpliciter humana natura Christi, ullum DIVINITATIS Idioma comunicatum. Ut autem alio modo coram simplicioribus ce-
lent hanc blasphemiam, in Filium hominis:
dona,

dona, & potestatem humana natura contri-
butam, mirificè deprecant, quòd ea sit pote-
stas summa in cælo & in terra, SED CREA-
TA SOLVM, NON DIVINA: quæ tamen
sublimior sit potestate omnium creaturarum.
Nos autem firmiter credimus, & ex sacris li-
teris evidentissimè probare possumus, Christo
homini, ultra & supra illa creata & finita,
hyperphysica dona (de quibus Adversarii bla-
terant) summa, æterna, infinita, & verè divi-
na Idiomatica, vel propria esse communicata:
quod sequentibus argumentis palàm facie-
mus.

(Antequam autem ad enarrationē Argu-
mentorū nostrorū accedamus, admonēdus est
nobis Lector, de usitata S. S. Patrum Regula:
Quicquid videl. Christo in tēpore datū esse, in cæ
Scriptura dicatur, id secundū HVMANAM, cæ
non DIVINAM naturā, eum accepisse, eiq; da- cæ
tum esse, teneamus. Hac enim Regula non ob cæ
servatā ad Arianismum inclinatur, dum di-
vinitas Filij Dei statuitur mutabilis: modò
aliquid habens, modò illo destituta: modò
Idiomate aliquo aucta, modò diminuta.
Observata econtrā (ut omninò par est)

I a

bae

hac Regula, nihil difficultatis est non modo in Arianorum Refutatione: sed & gloria divina Filii hominis, sese manifestissime in S. Scriptura conspiciendam exerit. Pergamus autem nunc ad argumenta, nostram sententiam confirmantia.)

I.

OMNIS potestas, IN COELO & IN TERRA, est divinitatis proprium, vel Idioma. Atqui Christo homini talis data est potestas, Matth. 28. & Ephes. 1. Sicuti id, in sequentibus, in specie probabitur.

II.

Repurgare posse homines à peccatis, est proprium divinitatis: sed hoc carni Christi datum esse, Iohannes dilertè asserit, inquit: SANGVIS (vide hic humanitatem Christi in abstracto) Iesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Ioan. 1.

III.

Vivificandi virtus, divinum est idioma, sed suæ carni hanc virtutem esse datam, Christus ipse testatur, dicens: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo, die, &c. Ioan. 6.

IV.

Omnia scire & novisse, præsertim cogitationes cordis, est divinum idioma (sic enim de Deo, Salomon Rex dicit. Tu nosti SOLVS cor omnium filiorum hominum, 1. Reg. 8.) Sed Christo datam esse eam omniscientiam, testatur Paulus, Coloss. 2. & in sequenti capite demonstrabitur.

V.

Potestas faciendi Iudicium, divina est. Hanc autem potestatem humanæ suæ naturæ datam esse Christus testatur, dicens: Pater Filio dedit potestatem faciendi Iudicium. **QVIA FILIVS HOMINIS EST,** Ioan. 5.

Claritat

Claritas, quam Christus habuit ANTE mundum conditum, non est creata, sed DIVINA claritas. Hac autem HOMO Christus, se clarificari petit, in oratione sua, dicens: Et NVNC (nota hoc NVNC, IN TEMPORE) clarifica me Pater, apud te ipsum, ea claritate, quam habui, PRIUS QVAM MVNDVS fieret, APVD TE, Ioan. 17.

VI.

Omnipraesentia est divinum Idioma. Omnipraesentiam autem Christo homini datam esse, testantur dicta Matth. 18. & 23. & capite sequenti uberius docetur.

VII.

Sessio ad dexteram Dei est divina gloria, qua Christus homo, omnia ubique praesens regit & gubernat. Hanc autem gloriam divinam Christo datam, postea declarabitur: & Filium hominis sedisse ad dexteram Dei, ipse de se testatur Filius hominis, ubi dicit: Filius hominis venturus est sedens ad dexteram virtutis, Matth. 26.

VIII.

Cultus adorationis Deo debitus, est idiomatis divini. Atqui adoratio religiosa, tribuitur Christo homini, Psal. 72. Philip. 2. Vide sequens caput.

IX.

Non possum hic silentio praeterire, quin Lectorem admoneam, quam horrenda sit Calvinianorum & Iesuitarum doctrina, qua Christo homini, OMNEM DIVINUM HONOREM, & CUNCTA DIVINA IDIOMATA COMMUNICATA NEGANT. Hac enim in parte blasphemias impiissimi Alcorani Turcici longè superant. De Christo enim Alcoranus Turcicus hæc habet verba: (loquitur autem Alcoranus, licet falso, quasi in Persona Dei) omnium Prophetarum, alio super alium, per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis: Christo, Mariæ Filio, ANIMAM NOSTRAM PROPRIE conferentes, vim & virtutem præ cæteris præbuimus. Annon autem Alcoranus blasphemus, plura & divinia (hac in par-

te) de carne Christi prædicat, quàm Calviniani & Iesuitæ? Quid enim anima Dei, nisi ipse Deus? hanc Christo, Mariæ Filio, collatam, fatetur, Mahometh: Idiomatica autem divinitatis Christo collata, magno conatu Adversarii nostri impugnant. Fuerunt hæc ideò addenda, ut pius Lector, notas & impietatem Calviniani Spiritus agnoscat, & qualem Christum (nimirum paulo pluris quàm Prophetam) nobis fingat & proponat. Fugiat ergo Calvinismum, quicumque diligit gloriam & Maiestatem Salvatoris sui, & suam propriam salutem.

Sed ad rem. Eorum (quæ modò recitavimus) divinorum Idiomatum, quæ in controversia versari possunt, probationem & tractationem peculiarem in sequenti capite instituemus.

Contra inferunt Adversarij.

I Finitum, non est capax infiniti. Sed Idiomatica divina sunt infinita: humana autem natura finita. Ergo humana natura divinorum Idiomatum capax non est.

Respondeo. 1. Hoc est miscere Principia disciplinarum, & à genere in genus (ut Dialectici vocant) ex Physico & Geometrico nimirum, in Theologicum transcendere, & à Christo provocare ad Euclidem: ex quo (secundum Regulas Dialecticorum) nihil sequitur. Et Paulus monet, ne decipiamur per Philosophiam, & inanem fallaciam, SECUNDUM TRADITIONEM HOMINUM, SECUNDUM ELEMENTA MUNDI, ET NON SECUNDUM CHRISTVM, Coloss. 2. 2. Hoc Argumentum solvitur per instantiam. Si enim in Theologia locum habere debet, tum unio divinæ & humanæ naturæ, & incarnatio

natio

natio Filii Dei, neganda erit: Caro enim Christi finita, Λόγος autem infinitus est. Quantum autem, cum de incarnatione agitur, hoc Philosophicum Axioma valet (scilicet nihil) tantundem etiam valeat in loco de Communicatione Idiomatum.

II. Si divina Idiomata sunt communicata humane naturæ, tum aut omnia, aut nulla sunt communicata. (Idiomata enim Divinitatis non possunt separari ab invicem) Sed non sunt omnia communicata humanitati Christi: (non enim potuit ei communicari, æternitas, infinitas, &c.) Ergo ei prorsus nulla divinitatis Idiomata sunt communicata.

Respondeo. 1. Negatur Major. Non enim necessario sequitur, ut, si quædam Idiomata non sint communicata, nulla, & ne reliqua quidem propria sint communicata: sicut id, hoc ipso 5. Capite, Quæstione 2. Paragrapho: Quod autem &c. solide demonstravimus. Sicuti & probatio majoris, in allegato loco ita distinguitur, ut, licet Idiomata distractionem neutiquam patiantur, distinctionem tamen admittant, ac diversum respectum, quoad extra, sive quando ad Creaturas referuntur. Eo igitur Lectorem (ne eadem repetantur) ablegatum volumus. 2. Quod ad Minorem: ea opus habet distinctione. Quando enim de unionem Personali loquimur, dispensatione cujus ο Λόγος se totum carni suæ communicavit, certe & in λόγος omnia Idiomata (Λόγος enim nō potest propter attributa dispesci) sunt carni Christi communicata. Quando autem loquimur de Communicatione Idiomatum, ratione ενεργείας, hoc est, quatenus Divina Idiomata, operando se in carne, & per carnem exerunt, tum non

omnia, sed quædam sunt communicata. Quæ minoris explicatio ideo fuit adjicienda, quia Adversarii jactant, nostros Theologos in hac quæstione dissentire, dum aliqui omnia, aliqui quædam esse communicata Idiomata, contendunt. Nullam autem esse discordiam, modo allata distinctio docet: dum, qui omnia communicata dicunt, unionem: qui vero aliqua; modum Communicationis, ratione ἐνεργείας respiciunt.

III. Propria naturæ unius, non possunt fieri propria alterius naturæ. Si autem divina propria humanæ naturæ communicentur, tum ea humanæ naturæ fient propria, quod est absurdum. Ergo, &c.

Respondeo: Negatur Minor: ejusq; falsitas in hoc capite ipso, quæstione tertia, solutione objectionis quartæ monstrata est.

IV. Idiomata divina, sunt divinæ naturæ Essentialia. Si ergo humanæ naturæ sunt communicata, tum Essentiam etiam divinam communicatam, & carnem in divinam Essentiam, mutatam dicere oportebit.

Respondeo: Sæpius jam dictum est, nos loqui de Communicatione, quæ non fit immediate, sed mediate, neq; Essentialis est, sed ex Personali sive hypostatica unione procedit: ubi ergo nulla statuitur Essentialis communicatio: ibi nec Essentiarum permutatio introducitur. Argumentantur ergo Adversarii à baculo ad angulum.

CAP.

CAPVT VI.

Continens speciale Idioma-
tum divinorum quorundam ex-
amen.

Postrema præcedentis capituli quæstione, omnia no-
stra Argumenta, in unum hunc generalem Syll-
ogismum possunt contrahi.

*Omnipotentia, Omniscientia, virtus vi-
vificandi, à peccatis repurgandi, &c.
non sunt dona finita, sed sunt Idioma-
ta divina.*

*Sed carni Christi data est Omnipotentia,
Omniscientia, virtus vivificandi.
&c.*

*Ergo, carni Christi data sunt divina Idio-
mata.*

Ad Majorem, quod attinet, neminẽ adeo vecordem
existimo, qui negare ausit, allegata Idioma-
ta vere di-
vina esse. Ad minorem quod attinet, videlicet hæc Idio-
mata Christo secundum humanitatem data & commu-
nicata esse; id isthoc sexto capite probare volumus. Et
quidem horum Idiomatum quædam humanæ naturæ
esse collata, adeo clarum est, ut probatione peculiari
nõ indigeant. Qualia sunt: 1. Quod emundatio à pec-
catis SANGUINI Christi (parti humanitatis suæ) ad-
scribitur. 2. Quod Christus, de CARNE, id est humana

I s

sua

sua natura dicit, illam esse vivificam. 3. Quod Christo potestas faciendi Judicium data sit, QUIA FILIUS HOMINIS est. 4. Quod secundum CARNEM (secundum divinam enim naturam, sua claritate æterna nunquam fuit destitutus) divina claritate clarificari se petit Christus à Patre. Quæ omnia, tanquam clariora, quam quæ prolixa ventilatione opus habeant, nunc omittamus: ad ea autem Idiomata & eorum probationem nos conferamus, de quibus nobiscum Adversarii manifesto concertant. Ea autem sunt: 1. Omnipotentia. 2. Omniscientia. 3. Sessio ad dextram Dei, ut ea à nostris explicatur. 4. Omnipræsentia. 5. Religiosa carnis Christi Adoratio. Denuo autem & in hoc Capite, semel pro semper ad Regulam Patrum, in prior capite adductam, provocamus, nimirum: Quicquid in tempore datum dicitur Christo, id secundum humanam illius naturam sit accipiendum: quæ Regula, ad omnia controversa Idiomata applicari debet.

PRIMA QVÆSTIO.

De Omnipotentia:

*D*ATAM esse Homini Christo omnem potestatem, hac sequentia docent Argumenta.

- I. Mihi data est (inquit Christus ipse) omnis potestas, in coelo & in terra, Matth. 28.
- II. Deus suscitavit (scribit Paulus) Jesum à mortuis, & constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur,

natur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus, &c. Ephes. 1.

III.

Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos suos, sub pedibus ejus. Ultimus autem inimicus destruetur, Mors. OMNIA enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicit OMNIA (statim subjungit Paulus) subiecta sunt ei, sine dubio, præter eum, qui subicit ei, OMNIA, 1. Corinth. 15. Loqui autem hæc dicta de humana Christi natura, octavus Psalmus, ex quo desumpta sunt, expresse docet, cujus verba nunc allegabimus.

Quid est (canit Psalter) HO MI O, quod memo es ejus? aut FILIUS HOMINIS (En tibi Davidem, expresse de Christo, secundum Humanam ejus naturam prophetantem) quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. OMNIA subiecisti sub pedibus ejus. &c. Psalm. 8.

IV.

Hunc Davidis locum, Epistola ad Hebræos, sic explicat: Omnia subiecisti sub pedibus ejus. In eo enim (ait) quod omnia subjecit ei, nihil dimisit, non subiectum ei, Hebr. 2.

V.

Daniel Propheta sic scribit: Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi Filius Hominis (En tibi Christum, secundum naturam Humanam) veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei (Antiquus dierum) Potestatem, & Honorem, & Regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servant. Potestas ejus: POTESTAS ÆTERNA, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpitur; Danielis 7.

VI.

OMNIA (dicit Christus de semetipso) tradita sunt mihi à Patre meo, Matth. 11.

VII.

Item:

VIII.

Item: Jesus sciebat, quod omnia dedit ei Pater in manus, Joan. 13.

IX.

Sic & de Christo Joannes Baptista loquitur: Pater diligit Filium, & OMNIA dedit ei in manus. Joannis. 3.

Hæc dicta clare monstrant. 1. Potestatem Christo datam esse immensam & divinam. 2. Datam esse Christo in tempore. 3. Et datam esse secundum humanam naturam. Hæc tria, sedulo contra Adversarios in hisce Argumentis urgenda sunt: negari enim non possunt, & jugulum Adversariorum petunt.

Contra inferunt Adversarii.

I. *Quæ Christo data esse dicuntur in Scriptura, ea ad divinam naturam referri debent: cui, post absolutum Redemptionis opus, gloria illa, cujus usu se aliquandiu abdicavit, restituta fuit.*

Respondeo: 1. Arianismum sapit hoc Argumentum: statuit enim divinæ naturæ Exinanitionem, quæ tamen in divinam cadere haudquaquam potest, cui nihil neq; accedit, neq; decedit, & simpliciter in semet est immutabilis. 2. Quia de gloriæ RESTITUTIONE Adversarii loquuntur, manifeste fatentur omnem divinam potestatem ei naturæ restitutam, quæ illius potestatis usu se ad tempus abdicaverat. Atqui abdicatio & Exinanitio ad humanam spectat naturam, non ad divinam, sicuti dictum est. Nolentes igitur, sua responsione pro nostra pugnant sententia.

II. *Quod omnis potestas Christo data est, id non datum est, vel divinæ vel humanæ naturæ, sed*

ra, sed Personæ. Malè igitur ad humanam naturam id quod dari dicitur, refertur.

Respondeo: 1. Produnt in hoc argumento Adversarij errorem, quem fovent in definitione vocabuli Personæ: quòd videlicet pro Persona, non intelligant λόγον ipsummet, secundam Trinitatis Personam quæ personali nexu sibi copulavit Humanitatem: sed tertium quoddam, quod aliud sit, quam divina natura τὸ λόγος (relate intellecta) hanc autem Personæ significationem Ecclesia ignorat. Ambiguitas ergo vocabuli PERSONAE quatuor parit terminos. 1. Quòd si Adversarii vocabulum Persona in consueta significatione sumere & retinere velint, res eòdem recidit: quia enim Persona Filij Dei, est Filius Dei, tùm statuetur, Filio Dei in tempore aliquid accessisse potestatis, quod ab æterno non habuit: quod iterum Arianum esset dicere.

III. Potest etiam Christo data esse omnis potestas, secundùm utramque naturam: quemadmodum secundùm utramque naturam Mediator noster est.

Respondeo: 1. Si secundùm utramque naturam data est Christo omnis potestas, tùm æquè etiam secundùm divinam, ac secundùm humanam naturam, auctio gloriæ & potestatis aliqua accessit: manet ergo semper Arianum illud consequens. 2. Confusionem admittunt Adversarii, duarum diversarum Prædicationum: quarum altera (de data omnipotentia) ex tertio Communicationis genere: altera (de Mediatoris officio) ex secundo confurgit: ex qua re fallacia

oritur.

oritur, mutatae praedicationis : & secundum plures interrogaciones.

IV. Omnis illa (de qua convertitur) potestas, non est de Divina, sed de Creata aliqua potestate intelligenda : quae nihil est aliud, quam potestas respiciens officium Mediatoris.

Respondeo : 1. Allegata dicta expressè loquuntur de OMNI Potestate, IN COELO & INTERRA : quae nisi sit universalis & divina, partialis utiq; vel particularis appellanda erit, adeoque omnis potestas dici neutiquam poterit, neque OMNIS potestas dici potest. 2. Praeterea, ne vestigium quidem ullum adest, ullius determinationis, quae vocabulum hoc (OMNIS) ad particularitatem aliquam restringere posset. Quid, quòd Christus impleto jam Mediatoris (quoad expiationem nostrorum peccatorum) officio, dicit : Data est mihi omnis potestas ? quomodo hoc ad jam peractum officium referetur ?

V. Minor est Christus (ut Athanasii habet Symbolum) Patre, secundum humanitatem : Humanitate autem omnipotenti facta, tollitur haec differentia, & porro etiam Christus secundum humanam suam naturam Patri erit aequalis.

Respondeo. 1. Etsi humana natura Christi dicatur Omnipotens, nulla tamen sequitur cum divinitate Patris (vel Filii) exaequatio : & manet magna differentia. Nam :

1. Pater est infinitus : Humana Christi natura finita.
2. Pater Essentia Deus est : Humana natura Essentia homo,

3. Pater

3. Pater est æternus : Homo Christus in tempore factus.
4. Pater est Creator & increatus : Homo Christus Creatura.
5. Pater immortalis est : Homo Christus fuit aliquando mortalis.
6. Pater habet Omnipotentiam in seipso & ex seipso : Homo autem Christus, habet ex gratia, per communicationem.
7. Pater est Omnipotentia ipsa : Christus homo, est omnipotens: non autem ipsa Omnipotentia.
8. Pater à Christo (secundum humanam naturam) recipit adorationem : humana autem natura est adorans.
9. Pater est Dominus : Christus secundum humanam naturam, dicitur, servus Domini. Ies. 53.
10. Pater substantia est Spiritus : Christus homo, habet corpus.

Quomodo ergo ob datam & communicatam Omnipotentiam audent Adversarii nos Exæquationis naturarum accusare? Quia ergo Omnipotentia Exæquationem non introducit, ab Adversariis fallacia secundum non causam ut causam, committitur.

VI. Christus dicit : sedere ad dexteram & ad sinistram meam, non est meum dare. Matth. 20. Fatetur ergo Christus, se non omnem potestatem absolutè accepisse.

Respondeo : 1. Fallacia hæc est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Quod enim Christus fuisse negat, & id quidem respectu status Exinanitionis, in quo tum temporis erat: id quasi dictum simpliciter (quasi ne extra statum quidem Exinanitionis, id dare posset) Adversarii explicant. Loqui autem Chri-

stum.

stum de statu exinanitionis, verba immediatè sequentia docent: ubi Christus dicit de bibitione calicis sui & passionis suæ Baptismo, hoc est, de infimo Exinanitionis suæ gradu. Status autem Exinanitionis, statui Majestatis neque præscribere potest, neque derogare.

SECUNDA QVAESTIO.

De Omniscientia.

NEgant Adversarij, Christo Homini datam esse omniscientiam: ideò blasphemo ore dicere audent, Christum hominem ne hodierno quidem die omnia scire, neq; PERFECTAM Dei habere cognitionem: neq; plus eum scire, quàm oporteat, & quantum sit in seipso capax, quantumq; divina natura, humana revelare velit. Hanc blasphemam doctrinam rejicimus, plenissimam autem, & omnibus numeris absolutissimam divinam Omniscientiam, Christo homini communicatam, sequentibus argumentis probamus.

I.

Quia Scriptura Christo homini Omniscientiam expressè tribuit.

I. In Pronunciatis de Christo.

1. In Christo, ait Paulus, OMNES THESAURI Sapientiæ & Scientiæ sunt absconditi. Coloss. 2. Quod autem de Christo dicit, non

non de sola divina natura, sed & de humana est intelligendum. Sine humana enim natura Filius Dei non amplius Christus, sed λόγος appellari potest.

2. Non ad mensuram dat Deus Spiritum (Christo scilicet homini) His verbis Ioannes certè infinitam Scientiam indicat, Ioan. 3.

II. Ipso actu, & usurpatione Divinæ Omniscientiæ in Christo; dum hominum corda & cogitationes vidit.

1. Multi credebant (dicit Ioannes) in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. Ipse autem Iesus, non credebat semetipsum eis: EO QVOD IPSE NOSSET OMNES: & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. IPSE ENIM SCIEBAT, QVID ESSET IN HOMINE, Ioan. 2.

2. Ita Nathanaelis cor, Christus, corpore absens, perspexit. Sic enim refert Ioannes: Vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est, (En tibi cognitionem cordis) dixit ei Nathanael: Vnde me novisti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei: tu es Rex Israel, Ioannis 1. Nisi autem Nathanael DIVINAM Omniscientiam in Christo agnovisset, non potuisset ipsum inde Dei Filium appellare.

3. Sic, cum sanaret Iesus Paralyticum, & peccata ei condonaret, dicentibus quibusdam Scribis INTRA SE, hic blasphematur, subiungit Evangelista: Et, CVM VIDISSET IESVS COGITATIONES eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in CORDIBVS vestrīs? Matth. 9.

K

4. Ita

4. Ita etiam cogitationes, quas in corde alat asinarum (quas nomine Christi petere debebant Apostoli) Dominus, & quale DATVRVS sit responsum, PRÆSCIT Christus Luc. 19.

5. Inspexit etiam cor & voluntatem hospitis Ierosolymitani, qui cœnaculum Apostolis, ad parandū Pascha, monstraturus erat. Luc. 22.

III. Probatur idem ex actis, & inspectione rerum absentium, & distitarum loco: ut,

1. Christus trans Iordanem existens, aliquot à Bethania miliaribus, novit tamen Lazarum decumbere & mortuum esse Ioan. 11.

2. Absens videt in Vico (qui contra Apostolos erat) asinam cum pullo alligatam Matth. 21.

3. In Bethania, à Ierosolymis tum absens corpore, videt hominem, qui portabat hydriam, eumque, ut sequantur Apostoli, iubet. Luc. 22.

II. Omniscientiam in Christo homine exigit ratio officii Iudicis, quod ipsi (secundum quod homo est) datum esse, supra diximus, Ioan. 5. Ut autem Iudicis officium iullè exequi queat, necesse est, ut omnia, non aliqua tantum sciat, ut nota sint ei omnium hominum cogitationes, & occultissimæ actiones, cordium etiam consilia, & denique, ut (quod Dei proprium est) corda & renes scrutari possit: quod, nisi per divinam Omniscientiam, fieri non potest.

III. Id ipsum requirit officium Mediatoris, quo in hodiernum diem, tanquam FRATER, & tanquam caro & sanguis noster, preces nostras suscipit, & audit, & eas Patri cœlesti offert, sua adiuncta etiam pro nobis intercessione. Quia autem maximè ardentes preces, sæpè in spiritu & corde fiunt, sine voce, vel labiorum motu, certè, ut hanc officii partem (consolationis plenam) perficiat, Omniscientia divina, qua cordis gemitus videat & cognoscat, præsupponitur.

Contrà

Contrà inferunt Adversarij.

I. *Christus dicit: De die & hora extremi iudicii, nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater, Marc. 13. Quibus verbis Christus humanae suae naturae Omniscientiam derogat.*

Respondeo. 1. Confundunt iterum Adversarij duos diversos carnis Christi Status, Exinanitionis; in quo volens, multa ignoravit; & Maiestatis: in quo divina gloria & cognitione (quoad ipsam etiam usurpationem) repletus est. Cōmittunt igitur Fallaciam, secundum plures interrogationes. 2. Plus est in conclusione, quàm in præmissis: non enim plus sequitur, quàm in forma servi (non autem in gloria, de qua in allegato dicto nihil dicitur) Christum iudicii diem ignorasse: quod idem est, ac si quis de Doctore Theologiae celeberrimo & præstantissimo diceret: eum, cum decem esset adhuc annorum, nullam Theologiae sacrae solidam habuisse cognitionem; & proinde negare vellet, neque nunc eum Theologiae cognitionem habere posse: quod inferre ridiculum esset: Pariter autem hoc loco Adversarii argumentantur. 3. Sed & tum, cum Christus hæc diceret, non tamen Divina Omniscientia caruit, sed occultè eam habens, non usurpavit: quod vocare solent; habere κτήσθαι, πῶ χηίσθαι. Similitudine res clarior evadit. Princeps aliquis minoris, cui nondum plenaria administratio suae ditionis est commissa, quando ingreditur curiam, potest, si velit, nunc has, nunc illas referare Epistolas & libellos supplices, inspicere item acta (ut vocant) secretiora: neque tamen id facit, non quod non possit, sed quod facere nolit, usque ad tempus plenariae administrationis. Sic Christus homo, scire potuit omnia: sed Omniscientiam illam usurpare noluit, in statu Exinanitionis: qua tamen nunc, in gloriam ingressus, plenariè utitur.

K 3

II. Christus

II. Christus homo tantum scire potest, quantum λόγος ei revelavit: sed λόγος ei neque semper, neque omnia revelavit.

Respondeo: 1. Quod citra Scripturæ sacræ auctoritatem adfertur, pari facilitate, qua adducitur, rejicitur: Et commentum hoc est adversariorum, non sententia Scripturæ: Ea enim, quando de actu καρδίου γνώσεως loquitur, non dicit, revelationem factam esse aliquam humanæ naturæ, sed dicit, quod ipse Filius hominis viderit cogitationes hominum. 2. Contradicit insuper Adversariis Paulus, in Christo absconditos esse perhibens, omnes thesauros scientiæ, Coloss. 2.

III. Christus, cum Lazarum suscitare vellet, ignoravit, ubi collocatus esset: quærit enim: Ubi reposuistis eum? Joh. 11. Ergo non omnia Christus (qua homo) sciuit.

Respondeo idem, quod suprâ ad primum argumentum.

IV. Sicuti Elisæus facta Giezi, & Petrus fraudem Ananiæ & Sapphiræ, revelante Spiritu cognovit (4. Reg. 5. Act. 5.) Ita & humanitas Christi, quædam λόγος revelante, cognoscere potest.

Respondeo: 1. Ingens est exemplorum diversitas Humana enim Christi natura, in unitatem Personæ, & Idiomatum divinorum communionem, à λόγος est assumpta: quare de carne Christi dici potest revera, quod in ea habitet tota Divinitatis plenitudo corporaliter, & quod in Christo Homine repositi sint omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ; quæ omnia

omnia

omnia de Elisæo & Petro dici non possunt : quare neque cognitionis modus (per alienam revelationem) utrobique unus & idem esse potest, sed cognoscit Petrus ex revelatione alterius, Christus Homo autem revelatione non indiget, sed ipse divinum hoc accepit Idioma, ut καὶ ἰο γινώσκῃς sit. Quatuor ergo apparent termini : & committitur fallacia causarum, dum diversæ cognitionis causæ & modi confunduntur. 2. Sunt etiam in hoc argumento puræ particulares : Petrus & Elisæus cognoscunt ex revelatione : Ergo & Christus Homo ex revelatione cognoscit.

TERTIA QVÆSTIO.

De Sessione ad Dexteram Dei.

In hac *Questione non controvertitur, utrum Christus ad Dexteram Dei sedeat, (hoc enim esset Articulum Christiana Religionis in dubium vocare) sed quid sit sedere ad dexteram Dei: Adversarij fingunt dexteram Dei, ad quam Christus sedet, esse locum aliquem certum in cœlis, circumscriptum & definitum, in quo Christus nunc sit & habitet suo corpore, in gloria eminentiori, quàm quæ vel Angelis, vel Sanctis competat. Nos verò statuimus & credimus, Dexteram Dei, non esse locum aliquem certum, sed ipsam di-*

vinam gloriam & maiestatem plenissimam, ad quam cum sedeat Christus, participare eum, gloria & maiestate illa divina, & potenter ubique in cælo & in terra regnare, affirmamus. Vt ergo huic Questioni deserviamus, probationis nostra duo membra instituere oportet, in quorum primo, opinio Adversariorum, de certo dextera Dei loco evertitur: in altero, quid dextera Dei revera sit, docetur. Vbi enim, qualis sit dextera Dei, declaratum fuerit, facile erit de sessione ad dexteram Dei iudicare: cum talia sint Prædicata, qualia à suis subiectis esse permittuntur: & contra. Sed ad probationem accedamus.

I. MEMBRUM.

Quòd dextera Dei non sit certus locus.

I. A natura Dei probatur, dexteram Dei localem non esse. Qualis enim est Deus, talis etiam intelligitur eius dextera, Sed Deus est Spiritus (Ioan. 4.) in quo locale quidquam, nec cogitari quidem debet: neque ratione locationis aliquid, vel sinistrum, vel dexterum datur, aut dari potest. Ideoque dextera Dei certum aliquem locum significare non potest.

II. Christus dexteram Patris, non vocat dexteram loci alicuius, sed dexteram virtutis: Virtus autem Dei localitatem non admittit, Matth. 26.

Certum

Certum est, Christum, postquam confedit ad dexteram Dei, eam dexteram, in æternum nunquam deserturum esse. Atqui, si statuatur dextera Dei, esse locus aliquis certus in cœlo: tum sequetur Christum in glorioso suo Adventu Judicii ad terram, deserturum esse dexteram Dei: quandoquidem (secundum Calvinianã doctrinam) non potest simul esse in terris, & simul in cœlis. Quod, quam sit absurdum, nemo non videt.

III.

Cogit hoc fateri Adversarios ipsa veritas. Calviniani enim Disputatores, in Colloquio Maulbrönnensi, haud ægre confessi sunt, ipsum λόγος, esse dexterã Dei: λόγος, autem non est locus, sed Persona, immensa & infinita, quin Patris sapientia & ipsa Omnipotentia.

IV.

Ad dexteram Dei (ad quam confedit Christus homo) localiter intellectam, quasi locus esset certus in cœlo, plurima sequuntur absurda: quæ brevius non possum, quam reverendis. & Clariss. Viri, D. D. Gerlachii verbis exprimere, quæ sic habent. Si in cœlo corporeo Christus, modo locali & circumscripto versatur: non omnibus hominibus, in terra constitutis, sursum, sed quibusdã etiam deorsum erit. Nam, si è monte Oliveti, recta ascendit in locum corporeum, qui supra Judæam, aut totam Syriam est: aliis Regionibus à Judæa remotissimis, non sursum, sed vel ad dexteram, vel ad sinistram, vel ante, vel pone, vel etiam antipus fuit. Et hodie, si tali circumscripto modo in cœlo corporeo versatur, multis ad dexteram, aliis ad sinistrã, quibusdam à tergo, nonnullis plane sub pedibus erit. Et hi, ad orandum se cõponentes, nec manus, nec oculos, nec mentem, aut cor in cœlum, quod supra ipsos est, attollere debent, sed de cœlo, quod infra ipsos est, & antipodibus superum est, cogitare, sicq; oculos & mentem ad cœlũ inferius deprimere tenebuntur. Atq; his, juxta sensum

V.

Vide D. D.
Gerlachii
Assert. contra
Busæum
cap. 9.

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

cc

K 4

Iesuiti-

cc

III. Jesuiticum & Calvinianum, in peractione sacrorum,
 non erit dicendum, SURSUM corda, sed DEORSUM.
 Quibusdam etiam invocantibus tergum obvertet, &
 faciem ab illis avertet. Imo, quia homines scire ne-
 queunt, in qua parte, vel loco caeli istius amplissimi
 consistat, an ipsis verticalis, vel antipus, vel à tergo,
 vel facie sit: ad solam divinitatem, quæ ubiq; est, ne-
 glecto & contempto Christo homine (contra ipsius ex-
 pressum mādatum, quo nos amantissime ad se invitat,
 & auxilium invocantibus promittit) suas preces diri-
 gant. Præterea, quia totus mundus corporeus peribit;
 etiam cœlum hoc corporeū transibit, & Christo suum
 domicilium & Palatium Regium destruetur: ipse vero
 in hoc cœlorum transitu, vel alio se recipere, & aliud
 domicilium quærere cogetur, aut certe sine cœlo erit,
 donec ei novum extruatur, &c.

Matt. 11.

Vbi hic
 erit dex-
 sera Dei,
 ad quam
 sedet Chri-
 stus?

VI.

Quæ autem D. D. Gerlachius de corporeo cœlo,
 absurda recenset, ea rectissime etiam in Disputatione de
 dextera Dei, Adversariis objiciuntur. Quia enim sta-
 tuunt dexteram Dei, nihil aliud esse, quam LOCUM
 ALIQUEM CERTUM, insigniorem, IN COELO
 corpore: certe ex locali dextera illa, omnia modo nar-
 rata absurda necessario consequi, manifestissimum est.

Labyrinthum quoq; intricatissimum, hæc Christi
 hominis inclusio, in certo cœli loco, Adversariis parit:
 quando statuunt, Christum à dextera illa locali non
 posse recedere: & interim apparitiones ejus, post ascen-
 sum factas, negare non possunt. Hic varie se torquent.

1. Hemmingius Paulo visum Christum asserit, neque Je-
 rosolymis, neq; in aere, neq; in Firmamento, sed in ter-
 tio cœlo. Gualtherus putat Jesum apparuisse Paulo, sed
 per Angelum. Calvinus solam Christi divinitatem appa-
 ruisse cōtendit. Thalmannus interpretatur, fuisse visio-
 nes mentales. Zanchius vult fuisse visionem ocularem
 Christi, in cœlis interim manentis, & per miraculum

visti.

vifi. Idem alicubi fingit, Christi Deitatem, relicto naturali suo corpore, finxisse sibi aliud, in quo apparuerit corpus. Idem alibi: potuisse fieri, inquit, ut Christi corpus in aeris usq; Regionē delapsum, apparuerit. Thalmannus denuo aliter affectus, alicubi dicit, propter peculiare quaedam & extraordinarias apparitiones, non discedendum à Regula universali, qua corpus Christi in cœlo manere credatur, usq; in finem seculi. Habes, bone Lector, octo, non differentes tantum, sed sibi mutuo adversantes, seq; mutuo tollentes Adversariorum sententias. Vide, quorsum evadant, qui dexteram Dei in certo cœli loco collocant: & hæc diversitas, imo contrarietas sententiarum, vanitatem præsuppositi arguit: quia veritas tantum una est, & VERITATIS ORATIO SIMPLEX. Qui harum opinionum variarum Exegesi iustam cupit. legat Prodromum Labyrinthi Sacramentarii, à Reverendo & Clarissimo viro, Domino Wilhelmo Holdero, Abbate Mulbronnensi, conscriptum.

7.

8.

Hæc sunt, quæ de localitate dextræ Dei, falso ab Adversariis introductæ, fuerunt dicenda. Ea autem fusius aliquanto hoc loco pertractanda visa sunt, quia adversarii, quando de ascensu Christi in cœlos disputant, & cœlum, & dexteram Dei in cœlestibus, non nisi loco definiunt. Ne igitur peculiare caput de ascensione in cœlos, conscribere necesse esset: visum fuit, hoc in loco, quid de cœlo & dextera Dei, ad quæ Christus conscendit, credendum, proponere. Quando igitur Lectori litem moverit Adversarius, de ascensu Christi, hac methodo procedat Orthodoxus. 1. Ascensus Christi historiam, nuda in cœlos susceptione, nō esse absolutam dicat, sed requiri, & ad eam sessionē ad dexteram Dei, quæ ab ascensu neutiquam divelli, nisi per fallaciam divisionis possit. 2. Deinde monstret Christum non tantum in cœlos (sicuti hujus capituli Quæstione quar-

Quomodo ex hoc loco Disputatio, de ascensu Christi in cœlos, petenda.

K 8

ta. ar.

ta, argumentatione nostra principaliore tertia, declarabitur) sed & SUPRA omnes coelos, ubi locorum desinunt spacia, erectum esse. 3. Urgeat, dexteram Dei localem non esse, proinde, neq; sessionem ad dexteram Dei, loco circumscribi posse. Et sic non opus erit peculiari capite, de ascensu Christi, sed hac ratione, una, quod ajunt, fidelia duos dealbaverimus parietes.

II MEMBRUM.

*Quod dextera Dei sit divina Majestas
& Omnipotentia, sic
probatur.*

I. Christus Patris dexteram vocat dexteram virtutis, scilicet divinæ. Virtus autem Dei, illius est omnipotentia, Matth. 26.

II. Quod Christus allegato loco dexteram VIRTUTIS vocat, id clarius explicat de divina Majestate, Matth. 16. dicens: FILIUS HOMINIS venturus est IN GLORIA PATRIS SUI. Gloria autem Patris, non est locus, aut creata gloria, sed divina Majestas.

III. Paulus sessionem ad dexteram Dei ita describit, ut non solum loci circumscriptionem tollat, sed & singulis fere verbis, divinam Majestatem inferat, dicens: Constituit Christum Pater, ad dexteram suam, 1. in celestibus, 2. super OMNEM Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & 3. OMNE nomen, quod nominatur, 4. non solum in hoc seculo, 5. sed & in futuro, 6. & omnia subjecit ei, &c. 7. qui omnia in omnibus adimplet, Ephes. 1.

IV. Psaltes quoq; dexteram Dei pro Omnipotentia Dei ponit, ubi dicit: Non in gladio suo possederunt (Israëlitarum) ter-

ta) terram, & brachium eorum, non salvavit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, Psal. 44. Et alibi: Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltata est, dextera Domini fecit virtutem, Psalm. 118.

Et pudeat Adversarios, qui Christiani dici volunt, de Deo, & dextera ejus adeo crassas concipere cogitationes, cum inter gentilium sapientes & doctos, inventi fuerint, qui magis sobrie de Dei dextera locuti sunt. Inter quos est Orpheus, cujus de dextera Dei carmen sic habet:

Dexteraq; Oceani velocis litora cingit. “

Quandoquidem autem dextera Dei nihil aliud est, quam ipsa summa, ipsius Dei, Omnipotentia & Majestas divina, certe necessario sequitur, qui ad, vel in dexteram Dei (in dextera autem & non solum ad dexteram Dei esse Christum, testatur Scriptura, Col. 3. Hebr. 8. 10. 12. 1. Pet. 3.) collocatus est, cum in ipsissimam divinam gloriam & Majestatem, illiusq; plenarium usum collocatum esse.

Contra inferunt Adversarij.

I. *Quando scriptura de dextera Dei loquitur, addere solet locales determinaciones: ut, cum Paulus de collocatione Christi ad dexteram Dei loquitur, addit determinationem (in caelestibus) Ephes. 1. Ergo localiter dextera Dei est intelligenda.*

Respondeo. 1. Vocabula (caeli & caelestis) non semper in Scriptura locum designant: alioqui, cum dicimus, Pater noster, qui es in caelis, &c. annon Deum loco include-

V.

cluderemus? quod esset absurdum. Opponuntur autem illa vocabula conditionibus, terreni & transitorii huius mundi. Quatuor igitur sunt termini, dum vocula (in coelestibus) modo tanquam oppositum loci ab Adversariis, modo tanquam oppositum conditionis, à Paulo usurpatur. 2. Fallacia divisionis committitur: quia sessio ad dexteram, aut qualis ea sit, non ex solo (coelestium) vocabulo, sed & ex sequentibus verbis pendendum est, ubi Paulus addit: super omnem virtutem, & potestatem, &c.

II. Filius hominis, venturus in gloria, dicitur venturus in nubibus, Matth. 26. Nubes autem sunt aliquid circumscriptum. Ergo, &c.

Respondeo. 1. Aliud est sessio ad dexteram Dei, & aliud est, sedentis ad dexteram Dei, manifestatio, quæ secundum Dispensationem fit (reditum autem Christi per manifestationem describit Paulus, 2. Thess. 1. 2. & 1. Tim. 6. & 2. Tim. 4. & 1. Cor. 1.) ab hac igitur ad illam argumentari, est à baculo ad angulum concludere. 2. Christus è coelis veniet: si ergò dextera sit locus in coelo, Christus in die Iudicii non erit ad dexteram Dei collocatus, eo quod in nubibus, & non in coelo, apparebit: quod est absurdum.

III. Paulus dicit, Christum revelandum fore DE COELO, 2. Thess. 1. Ergo in coelo sedet ad dexteram Dei, tanquam in loco.

Respondeo: Idem quod ad prius argumentum. Manifestatio & revelatio illa de coelo respicit modum Dispensationis, ut, qui nunc invisibiliter est ubiq;, visibiliter de coelo rediturus dicatur. Quid autem, quæso, hoc ad sessionem ad dexteram Dei?

IV. In manu Dei sunt omnes populi, Deut. 33. & animæ iustorum, Sap. 3. Non autem sequi-

tur

tur illos, & has propterea non esse in certo loco. Ita & de sessione Christi, ad dexteram Dei, iudicandum est.

Respondeo. 1. Impertinentissima est allegatio. Nam esse in manu DEI, in dictis allegatis, nihil aliud est, quàm esse in beato statu, ac omnibus inferorum portis superiorem factum esse, & omnia præsentis vitæ pericula & incommoda evasisse. 2. Aliud est, esse (qualicunque modo) in manu Dei, & aliud, SEDERE AD DEXTERAM DEI, quorum hoc soli Christo homini competit: illud vel omnium, vel aliquorum est hominum. Sunt ergo scopæ dissolutæ, ex quibus nihil sequitur.

V. Quæ SVRSUM sunt (inquit Paulus) quarite VBI Christus est, in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram, Coloss. 3. Hoc dicto Pauli, dextera Dei localibus determinationibus describitur.

Respondeo. 1. In hoc Argumento fallacia committitur divisionis, dum verba pauli, immediatè sequentia, & vocularum Adverbialium sensum reddentia, non sine dolo omittuntur, quæ sic habent: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, &c. Et: induite, sicuti electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, &c. Ex quibus verbis patet: SUPER TERRAM. Paulo idem esse, quod mundanas corruptas affectiones & scelera: SVRSUM verò, Renovationis opera. 2. Ex eadem explicatione patet quatuor inesse terminos huic argumento: quia ab Adversariis Adverbialia, illa loci, sensu Grammatico, à Paulo verò sensu Theologico sumuntur,

QVARTA

De Omnipraesentia.

HAEC est illa adeò infesta Adversarij's questio, quam omni conatio subvertere student. Facile enim intelligunt, si CHRISTO homini universalis apud omnes creaturas data sit omnipraesentia, laterem se lavare, frustraꝫ omnes ad evacuandam Cœnam Domini, machinas adveçtare. Quare contra Omnipraesentiam carnis Christi, quibuscunque possunt modis, detonant, fulgurant, eam proscindentes & blasphemantes, varijsque calumniis & maculis aspergentes. Nos autem ex nostra parte, carnem Christi omnipraesentem dicere non dubitamus, eamque adeò nobis presentem esse (idque Scripturæ S. auctoritate subnixi) credimus, ut praesentior esse non posset. Quia verò Adversarii, pro more, etiam hac in parte piam nostram doctrinam variè pervertunt & calumniantur, quasi extensionem, localem repletionem, Carnis Christi infinitatem, &c.

statue-

*statueremus: necessitas postulat, ut, quid de
Omnipræsentia Christi statuamus, quid reij-
ciamus, prius disertè protestemur, quàm ar-
gumentis nostram doctrinam confirmemus.*

Disertè & clarè autem protestamur, nos nihil ho-
rum, quæ Adversarii nobis affingunt statuere: quasi
Christum hominem nobis Omnipræsentem vellemus,
secundum infinitatem, extensionem, vel exæquatio-
nem humanæ Essentiæ, aut, modo circumscriptivo,
locali, vel physico; aut carnem omnipræsentem dice-
remus, **IN SEIPSA**, aut ex **SEIPSA**. Horum
nihil, ne per febrim (quod aiunt) somniavimus, sed
eiusmodi, de Omnipræsentia carnis Christi, carnales &
crassas imaginationes, ex animo damnamus & detesta-
mur. Præsentem autem statuimus carnem Christi,
modo cœlesti, spiritali, imperferutabili, soli Deo
cognito, divino: & quàm longissimè ab hoc præsen-
tiæ modo, omnes loci dimensionum, distantiarum,
longi, lati, profundi, propinqui, aut remoti, conside-
rationes proscribimus, & longum valere iubemus:
utpote, quæ omnia huius sunt seculi, neque ad hoc
magnum mysterium quadrant. Et hanc præsentiam
carnis Christi, ex sequentibus rationibus, quàm
firmissimè concludimus.

Ex Descriptione & Requisitis unionis Personalis,
omnipræsentiæ carnis Christi adstruendæ, hæc argu-
menta dicuntur.

I. Unio hæc dicitur & est **PERSONALIS**, quæ
non, sicuti duabus naturis constat, ita etiam duas, sed
unam Personam constituit: unum & **TOTVM**
Christum, **ἑνὸς ὄντος**: ita, ut post factam hanc unio-
nem,

nem,

nem, λόγῳ sine carne sua, ne cogitari quidem vel possit, vel debeat. Si verò Omnipræsentiam carnis CHRISTI negare velimus, tum non unus Christus, sed duo fingentur, quorum unus ubiq; præsens, alter non nisi in certo loco resideat: alter apud nos in terris, alter suprâ in cœlis: quod Nestorianum esset.

II. HYPOSTAICA etiam dicitur, propterea quòd nō simpliciter natura naturæ, sed natura humana divinæ personæ sit copulata: & quod humana natura propriam hypostasin non habeat, sed in Persona seu hypostasi Filii Dei subsistat. Vbi igitur est illa hypostasis, ibidem rectè etiam dicitur esse caro Christi, in illa hypostasi subsistens. Sed illa hypostasis non est aliquid locale, sed est illocalis, & (quod Adversarii negare nunquam possunt) ubiq; . Ea igitur ratione, qua caro Christi τὸ λόγῳ subsistit: quis non jam videat carnem illam, ubique præsentem esse; modo tamen divino & supernaturali?

III. Vnio Personalis duarum naturarum in Christo, facta est ἀδιασάτως, inuisceranter, hoc est, ut ratione huius unionis, neutra natura, spacio loci, vel minimum ab altera seiuncta esse possit. Hæc proprietas unionis tollitur, si fingamus, totum λόγον (impartibilis enim est) nobiscum in terris, carnem autem illius aliquot myriadibus milliarium à terris distare.

IV. Vnio Personalis debet esse INSEPARABILIS: Sed qui statuunt, carnem Christi certo in loco hærere, separant (quantum quidem in ipsis) hanc unionem. Quæritur enim, utrum λόγῳ, alicubi sine carne, aut (quod Pezelius voluit) extra carnem

carnem

carne subsistēs, dici possit λόγος incarnatus, Christus, θεός ἁπλοῦς. Nullo certè modo. Et, annon dimidiatus erit nobiscum Christus, hoc est, ea tantum parte, qua Deus: alterum verò Christi dimidium erit in cœlo? sed Religio Christiana nullum agnoscit Christum dimidiatum, sed integrum, ΤΟΤΥΜ, & unum solum. Fit ergo, & introducitur, per negatam Omnipræsentiam separatio unionis arctissima & indissolubilis.

V. Qualis præterea est unio, talis etiam intelligitur facta idiomatum divinorum communicatio. Sed hæc unio non est LOCALIS, facta enim est, citra ulli loci aut spaciōrum considerationē, in λόγῳ, non in loco: qui λόγος, est simplicissimus. Ideoque etiam in communicatione omnipræsentiae, omnis de loco cogitatio seponi debet: & tantum respici ad unionem illocalem: quæ non ita dicitur illocalis, ut sit nullibi, sed ut nullis locorum spaciis circumscribatur, aut includatur. Vbi igitur nunc quæram carnem Christi (ratione unionis) quam in λόγῳ? ubi λόγον verò, quam ubique? Huius ergo unionis ratione, caro Christi omnipræsens rectè dicitur.

VI. Unio Personalis describitur in Scriptura per inhabitationem, eamque intimam, PERSONALEM, vel, ut Scriptura loquitur (ad differentiam gratiosæ inhabitationis Dei in Sanctis & Angelis) CORPORALEM. Hoc est, ut λόγος in hoc suo templo habitet, neque extra id esse dicatur. Hæc autē unionis & inhabitationis descriptio tollitur, si Omnipræsentia carnis Christi negetur. Si enim extra carnem alicubi λόγον (& non simul carnem cum λόγῳ) statuas, eo ipso inhabitatio hæc corporalis cessat: quod statuere absurdum esset, & impium.

L

A Com-

II.

A Communicatione Idiomatum divinarum, argumenta hæc deducuntur :

I. Fatetur Beza, in Colloquio Montbelgardensi, uno divino Idiomate (& in specie omnipotentia) concessio, reliqua, de quibus controvertitur, sequi omnia. Sed omnipotentiam divinam esse humanitati Christi communicatam, huius capituli quæstione i. demonstravimus. Ergo : ex confessione Adversariorum spontanea sequitur, & Omnipraesentiam carni Christi communicatam esse.

II. Illa ipsa communicata Omnipotentia, Omnipraesentiam, non obscuris rationibus & argumentis infert.

1. Data est homini Christo OMNIS potestas. Si omnis, nulla ergo potestatis species ei negata. Si vero homini Christo negetur potestas ubique essendi, tum non simpliciter OMNIS, sed ALIQUA tantum potestas eidem concessa fuerit.
2. Et, quia data est potestas illa Christo, non tantum IN COELO, sed etiam in TERRA : si non in coelo & in terra praesens sit, quomodo utrobique potestatem habere dicetur plenariam?
3. Christo homini, OMNIA sunt SVBIECTA. Si omnia, certè etiam omnia loca : super quæ omnia erectus est. Quod si Christus loco inclusus fuerit, non iam loca Christo, sed Christus loco, & loci conditionibus SVBIECTVS erit.
4. Christus homo, omnia implet. Si autem non omnia loca impleat (modo divino, repletivo, non locali circumscriptivo) quomodo omnia implet? Et si non omnia etiam loca (licet non localiter) implet, tum neque ascendit, ut omnia, sed ut aliqua tantum impleret. Ephes. 4. Et sic Paulo stylum corrigent Adversarii.

Ascensus

Ascensus Christi ad cœlos, Omnipræsentiam carnis suæ difertè docet :

I. Ad ascensum enim Christi etiam sessio ad dexteram Dei requiritur : quid autem dextera Dei, & quid sessio ad illam, id hoc ipso capite, quæstione tertia est ita explicatum, ut inde Omnipræsentia necessariò inferatur.

II. Ascensus Christi ad cœlos, à Paulo ita describitur, ut Christum hominem, non in cœlo includat, sed supra omnes cœlos evehat, omnibusque loci conditionibus eximat, ubi dicit : Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primum in inferiores terræ partes ? qui descendit, ipse est, qui ascendit, super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Eph. 4. In hoc Pauli dicto, sequentia hæc sunt notanda.

1. Quia Paulus LOCALIS DESCENSVS meminit, in inferiora loca terræ, ea, quæ hoc loco Paulus refert, non posse referrì ad λόγον (utpote quæ iam antea, ratione divinæ suæ Essentiæ ibi præsens erat repletivè, Psal. 139.) sed dici de Christo, secundum humanam naturam, patet.
2. Ascensum factum esse, non IN cœlum aliquod Emphyreum, in quo Christus concluderetur : sed SUPRA OMNES COELOS, ubi neque locus, spacium, distantia, tempus, aut ulla huius seculi conditio habet locum, sed divina Maiestas, & infinitum.
3. Ad quid ascenderit Christus, non ut locum aliquem unicum, in cœlis AVGVSTIOREM occuparet, aut impleret, sed ut omnia (& ea quidem infera & supera, de quibus totus contextus dicit) impleret, & sic nullibi inclusus (quatenus supra omnes cœlos) nusquam exclusus (qua-

tenus omnia implevit) dici posset. Non igitur eo fine, quo Henoch & Elias ascendit: sed ut omnia impleret, quod ad hosce Sanctos non quadrat.

Declaratur etiam in eo dicto, **M O D U S** Omnipraesentiae, quod videlicet, non sit localis, extensivus, aut carnalis aliquis imaginarius, Omnipraesentiae carnis Christi modus: sed **IMPLETIONIS**: hoc est, modus Deo competens. De quo Deus in Jeremia dicit: Nunquid Deus è vicino ego sum, dicit Dominus & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus: nunquid non coelum & terram impleo? Jerem. 23. Nos autem non statuimus carnem Christi propria aliqua, aut, quæ à divinitatis Omnipraesentia, alia esset (ubique esse, sed una & eadem Filii Dei propria Omnipraesentia: hac tamen differentia, quod ea Filii Dei essentialis & propria, carni autem non propria, sed communicata est & propterea neque essentialis. Quare & nulla absurda, quæ Omnipraesentiae carnis Christi ab Adversariis affinguntur (ut, quod horrendum sit in ventre Herodiadis, in cloacis, &c.) cadunt in carnis Christi Omnipraesentiam, nisi divinae praesentiae eadem absurda impingere voluerint. Huc autem respexerunt Scholastici, dum triplicem alicubi Essendi modum constituunt. Primum circumscriptivum vocant, sive localem. Secundum definitivum, qui competit defunctorum animabus & Angelis: non infinitis quidem, sed tamen dimensione carentibus. Tertium repletivum vocant (impletionis, secundum Paulum & Jeremiam) quo Deus illocaliter, & supra omnem naturam, extra omnem locum in omnibus & ubique praesens est. Secundum illud:

Enter, praesenter, Deus hic & ubiq, potenter.

Sessio

Sessio ad dexteram Dei idem evincit. Quia enim dextera Dei non est certus locus, sed (ut supra probavimus) divina gloria, Maiestas & Omnipotentia, in cœlo & in terra: rectè sic à dextera Dei argumentamur. IV.

I. Quodcumque sedet ad dexteram Dei, est ubique. Christi caro sedet ad dexteram Dei. Ergo Christi caro est ubique.

II. Si dextera Dei non est ubique, tum Christus deserere cogetur dexteram Dei, quando è cœlis veniet. Sed Christus nunquam deserit dexteram Dei. Ergo, neque dextera Dei est localis, sed ubique. Et per consequens, qui sedet ad dexteram Dei, est ubique.

Huius Omnipræsentiae, habemus ab ipso Christo clarissimas & dulcissimas promissiones. V.

I. In sacra Coena promisit nobis Christus (ubicunque etiam simul & semel ea peragatur) præsentiam veram, corporis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi.

II. Vbi duo vel tres, ait Christus, congregati fuerint, in nomine meo, ero in medio illorum, Matth. 18.

III. Ecce (dicit iterum Christus) Ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Matth. 28.

Hanc Omnipræsentiam universalem etiam officii partes, quæ Christo, ut Mediatori nostro competunt, exposcunt. VI.

I. Rex noster est Christus: ita tamen ut gubernatio illius longè sit absimilis mundanis Regnis. Quod si autem Christus corpore suo absit, ab omnibus suis subditis in militante Ecclesia: annon Regni Christi, inferior erit conditio, quam Regnorum huius mundi? in quibus, etsi non omnibus subditis adesse possunt Reges & Principes, neque tamen ab omnibus absunt. Et quis diceret, Regem cœlestem, absentem gubernare populum suum?

L A

II. Emma-

II. Emmanuel est noster : hoc est, Deus & homo : talis igitur, qualis noster dicitur Emmanuel, hoc est, secundum utramque naturam, ut adsit, necesse est.

III. Caput Ecclesiae sive corporis sui mystici: corpus autem à membris suis seiunctum non est, sed iisdem quàm coniunctissimum.

IV. Frater noster est, quod magnam nobis parit consolationem, dum Christum, ut fratrem, in nostris periculis praesentem credimus. Hæc consolatio Christianis eripitur, si Christum, qua frater noster est, hoc est, secundum carnem, abesse dicamus.

V. Salvator noster est in omnibus periculis. Salvator autem est, secundum utramque naturam: ut igitur totus Salvator noster sit, ubicunque locorum nos versemur, praesens etiam erit secundum carnem.

VI. Mediator & intercessor noster est, non tantum ut Deus, sed ut HOMO Iesus Christus (ut Paulus dicit, 1 Tim. 2.) si autem homo Christus à nobis abest, quomodo preces nostras audire potest? quomodo eas Patri coelesti offert, & Mediator etiam ut homo (utraque enim natura ad Mediatoris officium necessario concurrat) pro nobis, in precibus sibi non cognitis, intercedet?

Neque tantum promissam habemus Omnipraesentiam carnis Christi in Scriptura, sed etiam ipso actu & opere praestitam.

I. Christus Nicodemo dicit: FILIVS HOMINIS (loquitur ergo de humana natura) qui tecum loquitur, EST IN COELO: Ioan. 3 Vides praesentiam humanae naturae in terris: vides autem & praesentiam in caelis. Et hoc quidem adhuc in statu Exinanitionis, quanto magis in statu Maiestatis?

II. Post ascensum in caelos, tamen simul & in terris apparuit:

i. Appa

I. Apparuit Stephano, non absens, sed praesens: nam visio Christi, ut totus textus clamat, in conclavi facta esse apparet (Actorum 7.) sub pavimento.

2. Apparuit Paulo, non in caelo, sed in via prope Damascum, Act. 9.

3. Paulo **A D S T I T I T** in castris Jerosolymitanis, Act. 23.

III. Apostolis **UBIQUE** praedicantibus, cooperatus est Dominus: hoc est, non uno in loco, sed ubique: idq; non absens, sed praesens. (Quicquid enim $\lambda\omicron\gamma\textcircled{\text{C}}$ operatur, post incarnationem, id cum carne, in carne, & per carnem operatur) Marc. 16.

IV. Post ascensum, Paulus Christum docet esse in cordibus nostris. Si autem adest Christus, constat, eum & in, & cum carne sua adesse: Christus enim sine carne $\lambda\omicron\gamma\textcircled{\text{C}}$ est, non Christus.

1. Annon [inquit Paulus] cognoscitis vosmetipsos, quia Jesus Christus IN VOBIS est, 2. Cor. 13.

2. Omnia, & in **O M N I B U S C H R I S T U S**, Coloss. 3.

3. Christus vivit IN ME, dicit idem de seipso, Galat. 2.

Ex negata Omnipraesentia carnis Christi sequuntur varia absurda Theologica, quae vicissim, data Omnipraesentia, tolluntur: videlicet; VIII.

I. Qui negant omnipraesentiam carnis Christi coguntur facere duos Christos, alterum in terris ubique praesentem: alterum in caelo & a terra absentem.

II. Christum, ejusq; naturas duas separant, per intervalla locorum, ut quando $\lambda\omicron\gamma\textcircled{\text{C}}$ nobiscum est in terris: interim caro ejus, innumeris miliaribus ab eo distet.

III. Dimidiatum faciunt Christum: qui quidem

L 4

TOTUS

TOTUS sit in cœlo, non autem totus, sed quasi pars illius ($\Lambda\acute{o}\gamma\omicron$) in terra.

IV. Unionem tantum in uno loco indistanter & inseparabiliter factam intelligunt: videlicet, solum in illo angulo cœli, in quo caro Christi resideat. In cæteris enim locis distantiam introducunt, & unius naturæ, ab altera separationem.

V. Hoc est Christo Homini fingere hypostasim, finitam & circumscriptam, quæ si sit talis, jam non æterna & infinita, & ubiq; existens Filii Dei erit hypostasis; sed alia creata: hoc autem esset duas hypostasies, & sic duas personas inducere. Ubi enim hypostasis est rei, ibi res esse dicitur (respectu illius hypostasis) ubi hypostasis non est, ibi nec res esse dici potest. Et quia nostra hypostasis est finita & circumscripta, ideo in loco sumus circumscripto: quod de carnē Christi nō potest dici, quia illius hypostasis est infinita. Sicuti autem Filius Dei, in sua infinita hypostasi est ubiq;, & si finitam haberet hypostasim, ubiq; esse non posset: ita vicissim, si finita hypostasi subsisteret caro Christi, neutiquam eam ubiq; esse diceremus: quia vero unam infinitam cum Filio Dei habet hypostasim in illa hypostasi subsistentem & unitam humanitatem, cum Filio Dei pariter ubiq; esse dicimus. Quod, qui negat, aliam fingit carnis Christi, quam Filii Dei hypostasim, quæ localis, dimensionalis & finita sit.

VI. Qui Omnipræsentiam negant carnis Christi, interim $\lambda\acute{o}\gamma\omicron$ ubiq; diffusum statuentes: ii, necesse est, dicant, $\lambda\acute{o}\gamma\omicron$ aut ex parte, aut ex toto esse extra carnem, aut totum intra carnem. Si totus intra carnem, Omnipræsentia jam non negatur: quia in & cum carne sua ubiq; erit: si dicas ex parte extra carnem, absurdum est: cum $\lambda\acute{o}\gamma\omicron$ partibus non consistet. Si dicas, totum extra carnem: jam solvisti unionem, quod

quod æque est absurdum; sicuti in responsionibus ad objectiones, hoc ipsum latius explicabitur.

Hæc & fortasse plura absurda sequuntur ad negatam carnis Christi Omnipræsentiam: ex quibus, quomodo sese Adversarii exsolvere possint, ipsi viderint. Nos tutiorem viam ingredi potius, quam ad eiusmodi absurda deflectere volumus.

Contrà inferunt Adversarii.

I. Corpus naturale & finitum, non potest esse ubiq;. Sed Christi corpus est naturale & finitum. Ergo, non potest esse ubiq;.

Respondeo. 1. Major loquitur de corpore pure naturali, minor de corpore cum Filio Dei unito: quatuor ergo sunt termini in hoc argumento. 2. Miscentur disciplinarum principia. queritur enim de corpore, quod Philosophiæ & omnibus humanioribus artibus ignotum, & soli Theologiæ notum: probationes autem desumuntur ex Philosophia, & ex principiis Euclidis, quæ prorsus nihil huc quadrant. 3. Proportionem finiti & infiniti, in Theologica hac disputatione nihil evincere, ipsa personalis docet unio, in qua, contra omnes Aristotelis, omniumq; Philosophorum regulas, finitum infiniti capax factum est.

II. Solius Dei est, Essentia sua esse ubiq;. Sed Humana Christi natura, Essentia Deus non est. Ergo, non est ubiq;.

Respondeo. 1. In majore vocabulum Essentiæ, significat ratione & vi Essentiæ esse ubiq;. In minore autem essentia consideratur, quatenus essentia, sine

L f addis

additione virtutis, ratione ejus ubiq; esse posset, vel non, quatuor ergo denuo nascuntur termini. 2. Nos non dicimus Essentiam carnis eo modo esse ubiq;, quo divina Essentia, quæ propria virtute est ubique, sed esse ubiq; dicimus virtute alterius, videlicet, communicatæ sibi vi unionis Personalis divinæ Omnipotentia & Omnipræsentia. Quæ nisi esset communicata, nunquam posset humana Christi natura, ex sua Essentia esse ubiq;: quod igitur ubiq; est, id sane non habet ratione suæ Essentia, sed habet ex communicatione illius Omnipræsentia, quæ Essentia divinæ (vel divinitatis) propria est, carni autem Christi cōmunicata, Quare sic formandum fuisset argumentum. Quicquid omnipræsens dicendum est, id Omnipræsens sit necesse est, divina omnipræsentia (præter hanc enim alia non est) Sed caro Christi habet, vel accepit Omnipræsentiam Filii Dei. Ergo ea Omnipræsens esse potest. 3. Et si caro Christi non in Essentiam divinam mutata est, habet tamen divinum illud Omnipræsentia Idioma *ἑβραϊκόν*: ea autem idiomatica posse ferre distinctionem à sua Essentia, supra Capite 5. Quæst. 2. demonstratum est.

III. Christus verus est Homo, nobis per omnia, excepto peccato, similis factus, Hebr. 2. Ergo, sicuti etiam nos, non erit ubiq;. Huc refer omnia illa, quæ Adversarii magno numero, de veritate humane nature adferunt.

Respondeo. 1. Supra, capite 3. diximus, propria Essentialiter dupliciter sumi, quædam, ut constitutiva Essentia, quæ citra Essentia destructionem abesse non possunt: quædam circa rem constitutam, quæ adesse vel abesse, citra Essentia destructionem possunt, inter quæ etiam loco includi, refertur. Et si igitur caro Christi non

non

non sit localiter loco inclusa, nihilominus manet nobis Christus similis, in propriis Essentiam constituentibus: ut, quod habet animam & corpus: quod est os de ossibus nostris, caro de carne nostra: seu, quod participavit carni & sanguini: sicuti id locus allegatus explicat. 2. Quod autem urgetur vocula (omnia) oportuit assimilari fratribus per omnia: loquuntur illa verba de statu Exinanitionis, in quo Christus paupertatem, famem, sitim, dolores & mortem degustavit, ut misericors fieret. Et in hisce satis est, semel Christum nobis assimilatum fuisse: neq; opus est, ut etiamnum hodie in iis nobis similis sit, quæ ad statum Exinanitionis referuntur. Ita etiamsi in circumscriptione locali non sit amplius nobis similis factus, tamen etiam in hoc nobis olim fuit similis: jam vero retenta similitudine Essentiæ, gloria nobis est dissimilis.

IV. Exæquatio naturarum est cavenda. Sed qui statuit carnis Christi presentiam, statuit Exæquationem naturarum. Ergo, &c.

Respondeo. 1. Negatur Minor. Is enim statuit humanæ naturæ cum Divina Exæquationem, qui carnem Christi ex se & in se (sicuti Deus ex se & in se Omnipotens, &c.) Omnipræsentem facit: quod quia nos negamus, neq; aliter, quam ex Divinæ Omnipræsentia communicatione carnem Christi omnipræsentem dicimus: quis non jam manifeste, inter naturam dantem, quod proprium est, & inter naturam proprium accipientem (neque tamen ut sui proprium, aut ut ipsum proprii illius subjectum, sed per communicationem) quis, inquam, non jam manifeste videt differentiam, quæ omnem naturarum exæquationem tollit ac prohibet?

V. Omnia

V. Omnipræsentia carnis Christi, ejusdem præsupponit Coextensionem in omnia loca. Sed illa Extensio falsa est. Ergo & Omnipræsentia.

Respondeo. 1. Monendus Lector, inter Adversarios quosdam reperiri, qui COEXTENSIONEM obijciant: quid autem illi de Dei Essentia & Omnipræsentia statuant, inde satis liquet: videlicet, Divinam Essentiam per Extensionem esse ubiq; alioquin humana natura ei non coextendi diceretur. Non ergo est mirum, si tam crassas & carnales, de Dei Omnipræsentia habent cogitationes, quod multo crassiores & ineptiores sint in carnis Christi Omnipræsentia perdiscenda. 2. Fallacia committitur secundum non causam ut causam: statutz enim Extensionis causa non est Omnipræsentia carnis Christi, recte & dextre intellecta: sed figmentum Adversariorum, quo carnem Christi naturali modo, ubiq; præsentem à nobis statui somniant, quod nos tamen & negamus & improbamus.

VI. In Personam assumi, non est, esse Omnis præsentem. Sed caro Christi tantum est in Personam assumpta Filii Dei. Non igitur propterea facta est Omnipræsens.

Respondeo. 1. Major negatur: nam, quia caro Christi non subsisteret (propria nimirum hypostasi destituta) nisi esset assumpta in Personam Filii Dei: maxime ex hac ipsa assumptione, Omnipræsentia evincitur: cum Persona Filii Dei, sit hypostasis infinita, quæ nullo locorum spacio clauditur aut terminatur, sed ubiq; est Omnipræsens: quod autem natura humana subsistit, id omne beneficio hujus assumptionis & unionis,

unionis & inde etiam Omnipræsentia Personalis Privilegium habet. 2. Etiam minor negatur: utpote, quæ nudam tantum statuit $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}\sigma\alpha\sigma\iota\nu$, sine consequenti communione naturarum & Idiomatum: talem autem non esse hanc vel assumptionem vel unionem, supra c. 4. explicatum est. 3. Apparet ex hac argumentatione, nec non aliis Adversariorum locutionibus, personæ vocabulo ipsos intelligere quiddam, à divina & humana natura tertium, quod portet & sustentet (tanquam scammum duos homines portat) utramque naturam; & quod de illa Persona fiant prædicationes, quæ de naturis non verificari possint. Talis autem personæ significatio, Theologiæ universæ & Orthodoxæ antiquitati ignota est. Videt ergo Lector, quomodo ludant in vocabulo Personæ: ex quo necesse est quatuor oriri terminos.

XII. Si communicata sunt humana natura in Christo divina Idiomatica, tum ea communicata sunt, quæ humanam naturam non destrunt. Sed omnipræsentia, humana natura attributa, eam destruit. Non ergo est communicata.

Respondeo. 1. Humanam naturam destruentia Idiomatica non dicuntur ea, quæ humanam naturam perficiunt, sed quæ constitutivas Essentiæ humanæ partes absorbent aut tollunt. Qualia sunt ea, de quibus supra, quæ quasi ad intra in Deo considerantur, neque per Energiam ad extra, ad creaturas quasi (operatione) egrediuntur: videlicet, infinitas, æternitas, immensitas, &c. Talia autem nec, hoc modo, quo Omnipræsentiam, non dicimus carni Christi communicata: non ergo per Omnipræsentiam caro Christi destruitur. 2. Destructio etiã fieret, si Essentiã carnis Christi,

in se

in se, ex sese & per sese Omnipraesentē diceremus, quod tamen nemo nostrum dixit aut scripsit unquam. Dum ergo falsas & insufficientes, destructionis humanæ naturæ causas Adversarij inducunt, Fallaciam committunt, secundum non causam ut causam.

VIII. Esse finitum & infinitum, sunt Contradictoria. Atqui Lutherani, Christi carnem dicunt esse finitam, eamq, simul (dum in omnibus locis praesentem dicunt) infinitam faciunt. Ergo contradictoria admittunt.

Respondeo : 1. Primam contradictionis partem probamus : (carnem videlicet Christi esse finitam) alteram, nostram non agnoscimus : non enim ut infinitam, sed ut in λόγῳ subsistentem, non virtute suæ Essentiae, sed per hypostasim & beneficio unionis personalis esse ubique carnem Christi dicimus : Nulla igitur monstrari potest Contradictio : dum caro Christi per Essentiam, manet finita ; ubique autem est per hypostasim (in qua subsistit) infinita.

IX. Si caro Christi ratione unionis personalis semper est & fuit ubiq, sequetur, Christum non Ierosolymis, sed & Romæ, Athenis, & inter astra ipsa fuisse passum. Atqui falsum est posterius. Ergo & prius.

Respondeo : Antequam ad huius argumenti & quorūdam sequentium solutionem deveniamus, aliqua prius ponendæ sunt hypotheses : quò, quæ pro solutione dicuntur, facilius intelligi queant.

1. Tenen-

1. Tenendum; carnis Christi Omnipræsentiam, non dependere ex proprietate suæ Essentiæ, sed dependere ex unione personali, ratione cuius, caro Christi, non est in loco, sed in λόγῳ subsistens infinita, illocali, & circumscriptibili hypostasi.
2. Carnem Christi, cum alicubi esse, aut non esse dicitur, dupliciter considerari: quatenus videlicet, primò est Essentia humana, naturalis, finita, circumscripta: deinde & secundo, quatenus intra unionem Personalem consideratur, ratione cuius, extra & supra omnem locum esse concedendum est.
3. Christum hominem statim in primo conceptionis momento, in communionem cum λόγῳ venisse, & actu primo, hoc est, habendo (licet non erga Creaturas usurpando: vel extra respectum Creaturarum) Omnipræsentiam in & cum λόγῳ intimè unitum, fuisse ubique: habuisse etiam cætera, Omnipotentia, Omniscientia, &c. Idiomata, hisque actu primo caruisse nunquam: iam autem in statu maiestatis etiam actu secundo, hoc est, plenaria usurpatione, omnibus Creaturis potenter & præsentè adesse, & Divinorum illorum Idiomatum actum exercere.
4. Quod non duæ sint Omnipræsentia, quarum altera τῷ λόγῳ, altera carnis Christi, sed una & eadem, quæ τῷ λόγῳ propria, carni autem assumptæ communicata est, & τῷ λόγῳ primo per se immediatè, carni autem Christi secundo & mediate, per Dispensationem nimirum unionis & consequentis inde communicationis, competit.
- His igitur præsuppositis, nunc ad solutionem accedamus propositi argumenti. 1. Confunduntur termini, esse ubique, & esse Ierosolymis, quasi unus & idem alicu-

alicubi vel ubique essendi modus esset, cum tamen alter (localis) sit carnis Christi, per essentiam, alter (illocali & ubiq;) per unionem Personalem. Quatuor exinde profiliunt termini. 2. Et, dum modi ipsi confunduntur, & quòd ad modum per unionem pertinet, cum modo per Essentiam miscetur, accedit fallacia secundum plures interrogationes. 3. Prædicationis etiam fit mutatio in hoc Argumento: quòd enim caro Christi dicitur esse (suo tamen respectu) ubique: id postea transformatur in pati & mori ubique, cum tamen aliud sit, esse alicubi, & aliud, affici, pati, mori, &c. Et secundum hanc novam Adversariorum Dialecticam porro sic concludere licebit de λόγῳ. Λόγῳ passus est in carne: Sed λόγῳ est ubique. Ergo ubique passus est in carne. Hoc si opponamus Adversariis, mox quatuor terminos, & Prædicationis mutationem vociferabantur: & rectè. Sed idem, ut in suo (quod prorsus cum isto hoc est idem) faciant argumento, meminerint.

X. Si caro Christi statuatur in statu Exinanitionis fuisse ubique, tunc mors Christi facta negabitur. Sic etenim, anima à corpore, & corpus ab anima nunquam fuissent separata. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens.

Respondeo: Nihil minus sequitur. Nam mors & vita Christi naturalis non definiuntur per unionem aut separationem personalem, sed Physicam animæ & corporis. Sive autem hæc Physica unio cesset, sive non cesset, interim arctissima manet semper unio Personalis: quæ neq; morte Christi solvi potuit. Non autem animam & corpus Christi omnipræsentia dicimus, & simul esse ubiq; ratione Physicæ unionis, sed ratione unionis Personalis. Manifestè igitur confunduntur
termi

Termini diversæ unionis, Physicæ & Personalis, dum non sunt contenti Adversarii separatione Physica animæ & corporis in morte Christi: quin & unionē illam, qua anima & corpus Christi, ἀδιασάτως τῷ λόγῳ sunt unita, secundum locorum distantiam separentur: quod est absurdum. Fuerunt autem anima & corpus Christi Physicè verè separata ab invicem: anima Christi versante in Paradyso; corpore in sepulchro interim quiescente, sicq; Physica soluta fuit unio: secundum unionem Personalem autem in λόγῳ nunquam, & ne in morte quidē à λόγῳ fuerunt separata, sed in & cum λόγῳ ubique. Sed quid hoc ad unionem, vel separationem Physicam?

XI. Si Christus in puncto conceptionis fuit ubiq, tum negabitur eius Conceptio in utero Mariae, & tam fuit in ventre Herodiadis, quàm Mariae virginis.

Respondeo: Quòd Christus in utero Mariæ (tanquam loco) conceptus fuit, id secundum Essentiam carnis Christi & modum præsentia Physicum factum est: quod autem ubique fuisse dicitur, non respicit modum Essentia proprium, sed unionem personalem. Ideoque manifestum est, Adversarios semper confundere modum essendi alicubi, secundum carnis Essentiam, & secundum unionem cum λόγῳ. 2. Deuò videmus, quàm crassas habeant etiam de Divina Omnipræsentia cogitationes Adversarii. Audiunt enim ex nobis, carnem Christi non nova aliqua Omnipræsentia, sed communium cum Filio Dei Omnipræsentia (quæ certè maximè illocalis est) præsentem statui: interim, licet audito Divino Omnipræsentia modo, crassam inclusionem, in ventre Herodiadis (increpet te Deus, Satan) semper urgere pergunt.

M

XII, Si

XII. Si Christi corpus est ubique, necesse est, ut substantia sua sit in omnibus arboribus, lapidibus, & cloacis (apage te Satan) sed consequens est falsum. Ergo & antecedens.

Respondeo : 1. Physicam inclusivam repletionem eum Divina supernaturali Omnipraesentia denuò confundunt Adversarii, ex quo quatuor consurgunt termini. 2. Hoc ipso argumento etiam Dei Omnipotentia negari posset, si Paralogismus Adversariorum valeret : quandoquidem nos non alia, quàm quæ Divinae naturæ propria est, Omnipraesentia, carnem Christi omnipraesentem statuimus. Si igitur ad hunc modum ipsum, allegata sequantur absurda, certè Divina Omnipraesentia neganda esset. Quod autem Adversarii ad tale argumentum responderent (Deum videlicet non ubique esse circumscriptivè, aut inclusionis modo) id ipsum responsi accipiant à nobis, qui humanam Christi naturam, neque circumscriptive, neque inclusionis modo, sed per Omnipraesentiam Filii Dei, illi communicatam, ubique dicimus.

XIII. Spacia locorum tolle corporibus (ait Augustinus ad Dardan. Epist. 57.) & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Ergo corpus Christi loco inclusum esse debet.

Respondeo : 1. Autoritas Patrum, authoritati sacrae Scripturae non æquiparatur : quod Augustini verba, in hac ipsa Epistola docent, ubi sic scribit : Quicquid in opere styli nostri utiliter elaboratum esse cognoscis, Deo gratias age. Si qua autem vitia mea perspicias, uti charissimus amicus ignosce, eadem sinceritate dilectionis, mihi optans medicinam, qua concedis & veniam. 2. Augustinus loquitur in genere, de corporibus merè & purè physicis, non de corpore Christi cum

um Filio Dei unito : quatuor ergo iungunt terminos Adversarii.

XIV. Lutherani fatentur, in sacra Cœna, extra sum, corpus Christi præsens non amplius adesse. Ergo hoc ipso universalem negant carnis Christi Omnipræsentiam.

Respondeo : 1. Fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter : quod enim Christi corpus extra Sacramenti usum non adesse dicimus, id non simpliciter, sed secundum quid, scilicet sacramentaliter dicimus. 2. Generi non derogatur per speciem, ideoque si maxime specialem præsentiam alicubi negemus, interim universalem Omnipræsentiam non destruimus. Sicuti rectè dicitur, quod Deus secundum gratiam in impiis non sit : interim, quòd nulla ratione sit in impiis, dici non potest.

XV. Corpus quodcunque naturale, non est, nisi si in loco. Christi autem corpus est naturale corpus. Ergo non est, nisi in loco.

Respondeo : 1. Quatuor sunt termini, dum Maior loquitur de corporibus purè physicis: Minor de corpore physico quidem, sed quod in unam personam à Filio Dei assumptum, cuiusmodi præterea nullum in rerum natura invenire licet. 2. Maior patitur instantiam. Nam cœlum extremum, est corpus physicum : quod tamen esse in loco (quia extra cœlum ne Aristoteles quidem locum concedit) non dabunt Adversarii.

XVI. Christus, Ioan. 11 dicit, se, cum Lazarus moreretur, in Bethania non fuisse. Non igitur fuit corpore suo ubique.

M 2

Respon

Respondeo. 1. Loquitur Christus de praesentia physica: Adversarii autem interpretantur de praesentia hyperphysica: ex quo quatuor oriuntur termini. 2. Nobis hodie maximè controversia est de carne Christi in Maiestate Divina constituta: Adversarii autem loquuntur de carne Christi adhuc in forma servili constituta: hoc denuò quatuor parit terminos.

XVII. Christus per Resurrectionem suam in gloriam ingressus, nihilominus visibilis & loco circumscriptus Apostolis apparuit. Non igitur necesse est ad gloriam Christi sequi Omnipraesentiam carnis Christi.

Respondeo: 1. Quod ad Christi apparitiones, factas eas esse secundum Dispensationem, ratio corporum glorificatorum docet, de quibus Paulus (1. Cor. 15.) sic scribit: Seminatur corpus in corruptione, & surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, &c. Christus autem non apparuit Apostolis in plenitudine gloriae, neque in incorruptione (alioquin stigmata, quibus clarificata carent corpora, monstrare non potuissent) neq; in corpore spirituali: palpari enim se passus est, praeter naturam glorificati corporis, nedum corporis constituti in divina Maiestate & gloria. Ergo per oeconomiam factae sunt illae apparitiones, ex quibus ad maiestatis suae statum non licet argumentari. Committunt ergo Adversarii fallaciam secundum plures interrogationes: & iterum, fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Quia autem non omnibus constat, quid antiqui oeconomias, vel dispensationis modum appellaverint, exemplo vel simili uno, vel altero, declarabimus.

PRIMUM

PRIMVM est Condescensus, quando videlicet legimus in sacra Scriptura, Deum apparuisse in forma humana, in rubo ardente, &c. vel alia forma: quarum revera nulla est in Deo, qui est Essentia spiritualis, simplicissima & invisibilis: interim tamen, ut humanæ imbecillitati consuleretur, talem se Deus in assumpta, certa forma conspiciendum dedit, ut præsentia eius certitudo, invisibili constaret signo: & hoc per dispensationem factum, Veteres dixerunt.

ALTERVM. Finge Regem aliquem potissimum, visendarum remotissimarum Regionum gratia, peregrinationem suscipere. Is, ne à quolibet agnoscat: posito regio habitu, potest sibi servi, aut mercatoris sumere habitum. Fieri autem potest, ut in Emporio aliquo dissito, in familiarem quasi notitiam deveniat alterius cuiusdam Mercatoris, incolæ illius loci, à quo, tanquam peregrinus, non contemnenda quædam beneficia accipiat. Etsi autem Rex genus & conditionem Regiam celet, tamen discessurus potest petere ab altero Mercatore, ut, si res ipsius ita ferant, eumque in Patriam ipsius (Regis, qui locum Residentiaæ suæ regia, potest simulando, patriam suam appellare) deferri contingat: ibi de Mercatore, qui non ita pridem peregrinationem in has, vel illas Regiones susceperat, inquirat, eumque investiget: facturum se, ut gratia ipsi pro beneficiis rependatur. Quòd si post aliquod tempus, domum reverso Rege, ille alter Mercator ad Regiam Regis deveniat: certè si maximè Regem in Regia pompa, trabea, corona, purpura, & sceptro videat, non tamen eum esse illum, quem ipse inquirat Mercatorem, agnoscet. Quòd si etiam Regem in quotidiano aulico suo habitu, præter pompam publicam videat, nec tamen sic agnoscet. Si verò Rex, vocato ad se Mercatore illo, habitum Mercatorium, quo in peregrinatione usus fuerat, iterum assumat: tunc facile agnosci po-

sci poterit ab hospite suo Mercatore. Ita etiam de apparitionibus Christi post Resurrectionem & ingressum in gloriam iudicandum. Christus in mundum veniens, posita forma Dei, servi assumpsit formam, in qua sola Apostoli (excepto Petro, Iohanne & Iacobo, Matth. 17.) omnes viderant Christum. His, ut certam faceret suam Resurrectionem, non apparuit, in gloria Patris, & suprema divina illa Maiestate (quomodo enim illum sic agnitori erant Apostoli?) non in veste, regiae suae aulae incolarum usitata, corporum videlicet glorificatorum, sed assumpta forma servi, in qua antea ab ipsis conspectus fuerat, & qua resurrectio sua, quam certissime ipsis confirmaretur: & hic dicitur Dispensationis modus. Sicuti autem Rex, si maxime Mercatoris habitum resumat, nihil tamen de sua perdit Regia Maiestate: ita conditio physici corporis, in qua Christus post resurrectionem apparuit per Dispensationem, nihil detrahit gloriae & Maiestati suae divinae: neque ab illa ad hanc argumentari licet: sicuti id male Adversarii conantur.

Sequuntur quaedam Adversariorum Elusiones, quibus nostra argumenta, pro Omnipraesentia carnis Christi, infirmare conantur.

I. Contra argumentum, ab unione personali indissolubili, sic inferunt. Si semel concedatur, Christi corpus certo loco affixum, λόγος interim ubique existente: neque interim facta est unionis solutio: tum neque hodie, carne Christi in certo caeli loco constituta, & λόγος interim ubique existente, necesse est, sequi solutionem unionis hypostaticae. Sed prius etiam quidam Lutherani non abnuunt, concedendo Christum, tempore mortis & in statu exinanitionis, non

non

*non fuisse ubiq; secundum carnem. Ergo: non est
necesse, ob negatam carnis Christi omnipraesentiam,
vel hodie inferri unionis solutionem.*

Respondeo. 1. Ad minorem: Quod aliqui Theologorum in Statu exinanitionis Omnipraesentiam carnis Christi non statuunt: non faciunt ea intentione, quasi vellent, carnem Christi, NULLO MODO, & ne in Λόγῳ quidem ubiq; fuisse, actu primo hoc est, non habito respectu creaturarum, aut dominii: sed negant, Christum hominem secundum quid, hoc est, secundum eum modum, qui Majestate plenus est, & domino erga Creaturas definitur, fuisse ubiq;. Quod ergo Theologi dicunt secundum quid: id Adversarii, quasi simpliciter dictum, arripiunt, sicq; fallaciam a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter committunt. 2. Exinde etiam necesse est, quatuor exurgere terminos: nam in Majore (non esse ubiq;) aliter sumitur simpliciter: in Minore iterum aliter, videlicet secundum quid: quæ ambiguitas quatuor terminos necessario introducit. 3. Ex hac solutione patet, neq; nostros ullum dare momentum inde à conceptionis puncto quo ipsi Λόγῳ caro Christi (IN Λόγῳ tamen) non fuit ubique praesens. Cadit ergo conditio, quam ponunt Adversarii in Majore. In conditionalibus autem nihil sequitur, nisi posita & concessa conditione.

II. Non fit propter negatam carnis Christi omnipraesentiam unionis solutio: potest enim Λόγῳ totus simul esse intra, & simul totus extra suam carnem: & ita, quatenus totus est in carne, unio non solvitur.

Respondeo. 1. Impium hoc est Pezelii commentum, à D. D. Hunnio, p. m. accurate refutatum: neq; ferendum

M 4

dum

dum est in Ecclesia, sed, ut novum, & blasphemum, in unionem Personalem, rejiciendum. Quare autem locum habere non possit illud (extra carnem) aliquas adferemus rationes.

I. Nova hæc est phrasis universæ sacræ Scripturæ ignota, & propterea, ut nova & commentitia, fugienda.

II. Hæc phrasis contradictionem implicat: sic enim λόγος unus & idem tempore eodem, respectu unius & ejusdem carnis circumscriptæ, simul intra & simul extra λόγον esset.

III. Quia Paulus docet, divinitatem Filii Dei, in carne sua habitare, σωματικῶς, corporaliter, Coloss. 2. Si nunc dicant adversarii. ΤΟΤΟΜ ΛΟΓΟΝ extra carnem, Paulo manifeste repugnant: si dicant, particulam illius in carne, & particulam aliam extra carnem, extreme absurdi sunt, cū λόγος sit ἀμέριστος.

IV. Λόγον factum esse hypostasin suæ carnis, certum est: atqui si λόγος sit extra carnem, tum hypostasis erit extra id, cujus est hypostasis: quod ne in rerum natura quidem (ut absurdissimum) nedum in sancto hoc mysterio ferendum.

V. Hac ratione conceptio, & in conceptione unio Personalis facta negabitur. Nam si tunc λόγος fuit extra carnem, quam belle cum carne unius fuit?

VI. Phrasibus Scripturæ de Christo, hoc Pezelianum commentum simpliciter contradicit, easq; evertit. Sic porro dicere non licebit: Verbum caro factum est: sed verbum extra carnem factum est. Non licebit dicere porro: In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis, &c. sed extra Christum habitat omnis plenitudo, &c. Non dicere licebit amplius: Deus fuit in Christo, sed Deus fuit extra Christum. Non dicere licebit: Deus manifestatus est in carne, sed manifestatus est

est

est extra carnem. Non dicere licebit: Jesum venisse in carnem, sed venisse extra carnem, &c. Et sic consequenter. Quid autem, quæso, si ita tractandæ sint sacræ literæ, incorruptum nobis manebit?

VI. Pariter evertentur Articuli omnes nostræ Fidei. Si enim λόγος statuitur extra carnem: quomodo Deus in carne conceptus, natus, passus, mortuus esse, dici poterit?

VII. Nestorianum est λόγος extra carnem considerare: si enim maxime λόγος statuas in certo coeli loco esse in sua carne: eundem tamen mox totum extra carnem, & ita λόγος non incarnatum ponis. Quid autem est duos introducere Christos (imo, quod ne Nestorius ausus fuit, duos λόγους) incarnatum & non incarnatum, si hoc non est?

IX. Reclamat & hoc commentum phrasibus Orthodoxæ antiquioris Ecclesiæ, quæ λόγος extra carnem adeo non reponit, ut λόγος insuper asserat in carne, cum carne, & PER CARNEM operari: quæ certe phrascs nullam λόγους extra carnem locationem admittunt.

Plura & argumenta, & justam hujus vafri commenti refutationem, require in D. D. Hunnii p. m. Assertionem contra Pezelium.

III. Attamen Deus in homine quovis totus esse, & totus extra eundem esse statuitur, neq; tamen ullum horum sequitur absurdorum.

Respondeo: Nihil hoc ad rem facit. Nam Deus in nobis habitat, sive per Essentiam, sive per gratiam (vel etiam utroque modo simul: ut fit apud credentes) non autem vel corporaliter, aut personaliter, sicuti Filius

M s

Dei

Dei habitat in carne sua, idque *ἀδυσίτως* *ἑγὼ* *ἀδιαιρέτως*. Quare rectè huc applicatur, illud usitatum: *inconveniēns* allegare, non est solvere.

Locum (Matth. 28.) *Ecce ego vobiscum sum, &c. Sic cavillantur.*

IV. Quemadmodum (inquiunt) cum Christus dicit: Antequam Abraham fuit, ego sum, Joan. 8. Vocabulum (Ego) non ad humanam, sed ad divinam naturam refertur. Pariter & cum Christus dicit: Ego vobiscum ero, &c. Vocula (Ego) ad divinam, non ad humanam naturam referri debet.

Respondeo. 1. Falsissima est hæc illatio: ingens enim in utroq; dicto Christi est diversitas. Nā in dicto Christi, Joan. 8. non ambigebatur de humana, sed de divina Christi natura: eam Christus probat à sua æternitate, ita, ut quasi digitum Christus ad divinam naturam intendat: ideoque rectè ad divinam naturam vocula (Ego) refertur. In altero autem dicto, Matth. 28. non ambigitur, neq; agitur de divina solum, sed de humana natura, & quidem de hac principaliter. Quod sequentibus hisce rationibus palam est.

I. Si consideremus, quando & coram quibus hæc verba protulerit Christus, humana innuitur natura. Loquitur enim Christus, post resurrectionem, coram Apostolis & fratribus, de quibus scribitur, Matth. 28. quod quidam eum adoraverint, **QUIDAM** autem **ILLORUM** **DUBITAVERINT**. Hisce Christus re-
vixisse

vixisse carnem suam, de carne sua prædicando, probat: (de divinæ enim naturæ immortalitate dubitare non poterant) Quomodo igitur non de carne sua Christus loqueretur?

II. Verba præcedentia id ipsum docent, quæ hisce sequentibus, de Omnipræsentia, omnino copulanda sunt: ubi Christus dicit: Data est MIHI Omnis potestas, &c. In hac autem concione, unanimis antiquitatis orthodoxæ consensus est, Christum de humana sua natura loqui: quandoquidem secundum divinam, ab æterno habuit omnia: quæ vero in tempore accepit, secundum humanam accepit naturam: secundum quod igitur Christus dicit, MIHI data est omnis potestas: secundum idem dicit etiam: Ego vobiscum sum, &c.

III. De toto Christo, totus Christus loquitur: Ad totum autem Christum non pertinet tantum divina, sed & humana natura, sine qua, ne Christus quidem, nedum totus Christus, dici potest.

IV. Finis, propter quem hæc protulit verba, humanam nobis naturam demonstrat. Nametsi humanam Christi naturam vere resuscitatam jam credebant discipuli & fratres: tamen, audientes Christum mox in celos ascensurum, contristabantur, quod de cujus Resurrectione modo gaudebant, de illius absentia nunc eis sit lugendum. Huic metui Christus vult obviam ire. quasi diceret: Nolite ob hoc contristari, quod visibilem corporis mei præsentiam vobis nunc subtraho: etsi enim visibiliter, & secundum hujus mundi conditionem, vobiscum non amplius conversabor: nihilominus tamen (sed cœlesti invisibili modo) me præsentem habebitis. Quod certe de divina natura, quam jam antea semper præsentem sciebant Apostoli, dici non potest.

V. *Locum ad Ephesios cap. 4. sic eludunt:*
Omnia implere, potest intelligi de impletione
Scriptu-

Scripturarum, vel quod Christus donis gratiosis omnia in Ecclesia impleat.

Respondeo. 1. Non licet in manifestis & clavis Scripturis ita ludere, sed quid litera textus, & totus contextus, & perpetuus Scripturæ consensus ferre possit, attendendum. Plane igitur ἀκούσατον est illud adversariorum nugamentum. 2. Locus ipse clarior est, quam ut torqueri se patiatur. Expresse enim mentionem facit inferiorum & superiorum locorum, terræ & cœli: ut non possimus aliter, quam de omnium locorum, inferiorum & supernorum, imo etiam extra cœlos, impletione intelligere. 3. Neq; Paulus loquitur de impletione donorum gratiosorum: non enim dicit, Christum donis implere cuncta, sed eum, qui dona confert, (dum dicit: ILLE, QUI ASCENDIT, non dona ipsius) implere omnia, ut collatio donorum sit pars Majestatis Christi ubiq; præsentis & operantis, non vero ipse modus impletionis. 4. Sed neq; de Scripturæ impletione agitur. Solent enim Evangelistæ & Apostoli, de Scripturæ impletione loquendo, allegare expresse Scripturas illas, aut saltem clare innuere, quæ implentur. Hujus autem rei nulla hic extant vestigia.

QUINTA QUÆSTIO.

De religiosa carnis Christi adoratione.

SI in ullius divini Idiomatis communicatione, & Nestorianos & blasphemos sese gerunt Aduersarii, certe in hoc Religiosa adorationis

tionis Idiomate, quàm maximè hoc faciunt. Licet enim interdum dicant & concedant, **HOMINEM CHRISTVM** esse adorandum: tamen aliter nolunt intelligi, quàm Filium Dei, qui assumpsit humanam naturam esse adorandum, neglectâ interim humanitate Christi. Quando autem in abstracto queritur, utrum humana Christi natura (**INTRA VNIONEM** tamen considerata) sit adoranda: hîc non modo simpliciter adorationem hanc negât; sed & horribilem esse Idololatriâ, blasphemant & detestantur. Nos autem sicuti unum confitemur Christû, duabus constantem naturis: ita ad unum & integrum illum Christum, & hac ratione etiam ad carnem Christi, adorationem esse dirigendam, credimus: idque hisce rationibus.

Quicumque adorationem Christi ad solam Deitatem dirigit: ille naturas separat, & personam dividit. Ne igitur personam dividamus, aut naturas separemus, non solam Deitatem, sed ad totum Christum, Deum & hominem, tanquam unam personam dirigimus adorationem.

I.

Negata adoratio carnis Christi, introducit Nestorianismum. Quid enim est aliud, si humanitatem Christi

II.

Christi nō adoras in unitate Personæ, quàm si humanam Christi naturam, QVASI EXTRA ILLAM PERSONALEM VNTIONEM, seorsim pones? Quod Nestorianum esse, clarius est, quàm ut probatione indigeat.

III.

Dum Christo homini Adoratio negatur, reipsa annihilantur Reales illæ Prædicationes, quibus homo Deus dicitur. Sic enim concludunt Adversarii: Homo non est Deus: igitur nec adorandus. Proinde qui hoc fundamento Adorationem carnis Christi negant, omnem nostram salutem in dubium ponunt: si enim non adorandus, quia realiter nō dicatur Deus: tūc neque reverà Dei sanguine, sed nudi hominis redempti sumus. Atqui iubet Fides Catholica credere illum, cuius sanguis pro nobis est fusus, verè & realiter esse Deum. Ergo & verè & realiter est adorandus.

IV.

Christus Mediator, Sacerdos, & Rex noster est, non tantūm secundūm divinam, sed & secundūm humanam naturam: Ecclesia autem Christum adorat & glorificat, non solūm ut DEVM, ut λόγον, sed & ut Salvatorem & Mediatorem: Ideoque ut Mediatori debet Ecclesia ei adorationem & glorificationem, etiam secundūm humanam naturam.

V.

Quòd autem Christum etiam, quā homo est, adorare teneamur, clarissima sacræ Scripturæ dicta de CHRISTO docent.

I. David de Christo canit: Adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei, & orabunt coram ipso semper: & tota die benedicent ei, &c. Omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus

Deus

Deus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen Maiestatis eius in æternum, & repleatur maiestate eius omnis terra. Amen, Amen. Psal. 72. Vtrum autem David de Divina tantum loquatur natura, an verò etiam de humana, docet huius Psalmi initium quod sic habet: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam **FILIO REGIS**, scilicet Messiae, Davidis Regis Filio, secundum carnem, Quod certè est disertè loqui de humana Christi natura: secundum quam Paulus dicit Christum esse ex Patribus, & ita etiam ex Davide. Rom. 9.

II. Deus exaltavit Iesum (scribit Paulus) & donavit illi nomen (quòd autem divinum nomen & gloriam intelligat, audi sequentia) ut in nomine IESU omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & infernorum, Philip 2. Genuflexio autem in Scriptura adorationem significat: ut: Mihi curvabitur omne genu, dicit Dominus Iesaiæ 45. Hanc autem dari Christo non secundum divinam, sed secundum humanam naturam, totius illius dicti Paulini contextus infert.

III. Quomodo Christus Rex ab Ecclesia sua, etiam qua homo, adorari debeat, id Iohannes in Apocalypsi hypotypicè descripsit, ubi inquit: Vicit Leo, da **TRIBV IVDA, RADIX DAVID**. Ac vidi Agnum stantem, **TANQVAM OCCISVM**. Et seniores (Ecclesiam representantes) prociderunt coram Agno: habentes phialas plenas odoramtorum, **QVAE SVNT ORATIONES SANCTORVM**, & cantabunt canticum novum, dicentes: Dignus es accipere librum, **QVONIAM OCCISVS ES**, & redemisti nos Deo, **PERSANGVINEM TVVM**. Et audivi vocem Angelorum multorum, ac millia

millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui OCCISVS EST, accipere virtutem, sapientiam, gloriam, benedictionem. Et omnem Creaturam in coelo, in terra, sive Mari, audivi dicentem: sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum, Amen: Apocal. 5. Adorationem & divinum cultum, hisce verbis describi, nemo negare potest, nisi qui Sanctorum orationes, non esse orationes (absurdissimè) contendere. De humana autem natura loqui Iohannem, testantur appellationes Agni occisi (occisus autem & mortificatus est Christus C A R N E, 1. Pet. 2. 3. (sanguinis (qui humanæ carnis est proprius) quo nos redemit. Redemptio autem non unius, sed utriusque naturæ est: (sicuti in secundo communicationis genere explicuimus) ideò secundùm utramq; naturam Adorandum, docet Ioannes.

I V. Epistola ad Hebræos de Christo dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei, Hebræ. 1. Sed utrùm tantùm de divina Christi natura, an verò & de humana loquatur Apostolus, id docent verba antecedentia, quibus Christum ad dexteram Dei collocatum dicit. Secundùm quod igitur eum prædicat, ad dexteram Dei sedere, secundùm id etiam docet, ab Angelis Dei esse adorandum. Collocatum autem esse Christum ad dexteram Dei, secundùm humanam naturam: probatione non indiget.

VI. Habemus etiam in sacra Scriptura plurima exemplorum, qui Christum, Deum & hominem, non facta carnis à divinitate abstractione, adorarunt, quorum etiam adoratio, non modò reprehensionem non meruit, sed & commendata est.

I. Magi ab Oriente, procidentes adoraverunt infan-

Infantem Iesum, nullis adhuc miraculis conspicuum,
Matth. 2.

II. Princeps Scholæ, procidens coram Iesu, adoravit eum. Ne autem adoratio hæc habeatur, pro exteriori reverentia, præmittit Evangelista adorationi, quod procidendo, reverentiam illam Christo exhibuerit: insuper autem & adoraverit, Matth. 9.

III. Duo cæci Christum adorant, clamantes: Misere nostri, FILI DAVID, Ibidem.

IV. Cæcus natus, cui visus à Christo restitutus fuerat: Cum audiret, Iesum esse Filium Dei, procidens ADORAVIT eum, Ioan. 9. Quémnam autem adoravit, num solum Deum, an hominem? Hoc declarant verba illa, ubi (cæco quærente, quis ille Filius Dei, obiectum adorationis) Christus dicit: Et vidisti eum. & qui loquitur tecum, ipse est. Visus autem est cæco Christus secundum humanam naturam.

V. Adoravit & Christum hominem Pater Dæmoniæ, Matth. 17.

VI. Christum hominem, cum is se post resurrectionem in carne manifestaret, adoraverunt fratres, in Galilæa congregati, Matth. 28.

VII. Thomas Christum (quem secundum carnem palpaverat) adoravit, dicens: Dominus meus, & Deus meus, Ioan. 20.

VIII. Stephanus, cum lapidaretur, invocabat, dicens: Domine Iesu (quem oculis corporeis videbat) suscipe spiritum meum, Actor. 7.

Contrà inferunt Adversarii.

I. Adoratio est cultus, soli Deo tribuendus. Sed humanitas Christi non est Deus. Ergò ei cultus adorationis non est tribuendus.

N

Respon-

Respondeo : I. Si Adversarii intelligunt humanitatem, non tantum in abstracto (eo modo, quo abstractum in hac materia sumitur) sed etiam humanitatem, quasi extra unionem positam, tum neque nos adorandam carnem Christi dicimus. Sed si in unione sumatur & intelligatur, ut omninò par est, tum Minorem negamus. Et si enim humana Christi natura, non est Deus essentialiter, Deus tamen est, & dicitur homo Christus, verè & realiter, per communicationem naturarum factam in Persona Christi personaliter. Atque ita, non est homo Christus, nullo modo verè & realiter Deus, Et, quia verè homo est Deus, verè etiam est adorandus.

II. Totus Christus est adorandus, sed non totum Christi.

Respondeo : Frivolum & nullius momenti isthoc Adversariorum est effugium. Sive enim dicas, *TOTUS* Christus, sive *TOTUM* Christi, unum & idem tamen significatur, videlicet utraque Christi natura, in unitate Personæ iuncta & copulata. Et, sive à Christo divinam, sive humanam abstrahas aut demas naturam, tum ne Christus quidem amplius, ne dum *TOTUS* Christus dici poterit. Quare commentum hoc sibi servant Adversarii, quibus in divinis mysteriis fingere, ludus est.

III. Sicuti Regem purpuratum adoramus, purpuram, qua indutus est, non item : ita Christus homo est adorandus, humanitas autem Christi non item.

Respondeo : I. Similia nihil probant : sed tamen, si similibus pugnare liceret, opponeremus aliud simile,
Adver-

Adversariorum simili longè aptius. Videlicet, Regem adoramus, non autem tantum animam eius : sed totum Regem, anima & corpore constantem : & quod ad gestus, observamus maximè corpus eius, faciem, oculos, linguam, manus, quæ omnia corporis sunt, non animæ : ita pariter de adoratione carnis Christi possumus argumentari. Estque hæc similitudo, de anima & corpore hominis longè aptior : utpote, quæ ad communicationem naturarum & Idiomatum declarandam à Patribus est inventa : neque in tot partibus, & quidem principalibus, sicuti illud de Rege purpurato, claudicat. Nam quale, quæso, hoc de purpurato Rege est simile dissimile? Purpura cum suo Rege, non est unum ὑφιστάμενον, sive una Persona : at caro Christi, cum divinitate λόγος, est una Persona. In purpura & Rege nulla unio, nisi per attinentiam : talis autem infima (si modo dicenda est) unio, non cadit in Personam Christi. Purpura nihil cogitat, nihil intelligit, quod de humana Christi natura ne cogitari debet : quippe in qua absconditi sunt omnes thesauri, scientiæ & cognitionis, Coloss. 2. 2. Detegenda est singularis loquendi ratio Adversariorum, qui, cum dicunt (homo Christus) nihil minus interim, quam humanitatem Christi intelligunt, sed nudam λόγος Deitatem, cum carne unitam : quod etiam in hoc argumento faciunt : annon autem hoc est aliud verbis loqui, aliud mente concipere? 3. Apud Adversarios quoque non idem est, homo Christus, & humanitas Christi : in quo non tantum contra communem & receptam loquendi formulam, sed & contra Orthodoxam piam antiquitatem faciunt, cui indifferens est dicere : Filius Dei assumpsit hominem, & Filius Dei assumpsit humanitatem.

N 2

IV. His

VI. Hic olim fuit error Nestorii, quod Christum, quia homo est, docuit, cum verbo esse adorandum. Nestorio igitur favent Lutherani, dum carnem Christi cum λόγῳ adorandam docent.

Respondeo. I. Vtrum nos, an Adversarii, Nestorianismi iustius accusentur, audiamus, & discamus ex Beato Cyrillo, Nestorii contemporaneo, qui anathematis suo, contra Nestorium octavo, de adoratione carnis sic scribit: Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari cum Deo verbo oportere, & glorificari, & connuncupari Deum, TANQVAM ALTERVM CVM ALTERO. (nam con, syllaba, superadiecta hoc cogit intelligi) ac non potius VNA ADORATIONE veneratur Emanulem, unamque ei glorificationem dependit, iuxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. Hucusque Cyrillus. Quid autem, quaeso, Cyrillus contra adorationem carnis Christi hic dicit, aut scribit? Nestorium quidem refutat, sed propterea, quod ille dixerat, assumptum hominem, TANQVAM ALTERVM CVM ALTERO, coadorandum, hoc est, quasi duos (Christos) non in unitate Personae, sed seorsim quemvis horum existentem, quasi duas Personas, simul tamen alterum cum altero adorari oportere statuerat. Et econtra disertè docet (contra Adversarios) Cyrillus, tum temporis de adoratione vera carnis Christi non fuisse dubitatum, sed fidem Catholicam docuisse, Emanulem, secundum quod Verbum caro factum (hoc est, non quasi nudum λόγῳ, sed incarnatum) in & cum carne sua adorandum esse. Magis igitur hic Cyrilli locus, contra Adversarios, quam pro ipsis pugnat: Committiturque in hoc Argumento fallacia, à dicto secundum quid,

quid, &c. Dum, quæ Cyrillus contra separationem duarum naturarum dicit, Adversarii, quasi contra veram carnis Christi adorationem dictum pro se allegant.

V. Maledictus, inquit Propheta, omnis, qui ponit carnem brachium suum: Jerem. 17. Sed Christi caro est vera & naturalis caro. Ergo in ea nec credendum, neque ea adoranda.

Respondeo: 1. Loquitur Propheta de hominibus qui nihil sunt, quàm caro & sanguis, & nihil Divinitatis habent: nos autem loquimur de carne, quæ V N A PERSONA est cum Filio Dei: & propterea dicitur, Deus & Filius Dei viventis: (Matth. 16.) 2. Si liceret carnem Christi extra unionem considerare aut collocare, fateremur, eatenus adorationis obiectum esse non posse: sed intra unionem, Christus Homo non tantum caro, sed & Deus est.

Adfert Lambertus Danæus, in Scripto suo contra Chemnitii Opus, de duabus naturis in Christo, complura eiusmodi dicta, ut: Gloriam meam alteri non dabo: Deum tuum adorabis: Christus est nobis similis: est conservus noster. Quæ modo posita solutione, omnia & singula dissolvuntur. Non enim tantum Homo est Christus, sed & Dominus Gloriæ, non tantum servus, sed & Dominus dominantium: non tantum similis nobis per substantiam humanæ carnis, sed & dissimilis per Omnipotentiam, Divinum nomen & gloriam, & per unitatem Personæ cum Filio Dei: propterea nihil ex allegatis locis (quæ omnia de nudo homine sunt intelligenda, & de Creaturis Divinitatem

nullam habentibus) in carnem Christi quadrare potest. Quia autem perpetua hac solutione omnia illa diluuntur argumenta, quid opus fuisset, sigillatim ea omnia adscribere, & toties, non sine molestia, unam & eandem responsionem repetere.

Et sic etiam, Divino beneficio, absoluta est tractatio de Persona Christi, in qua magis simplicitati studuimus (ut omnino in mysteriis decet Divinis) quam humanis argutiis; quæ autem adduximus, ex Scripturæ fundamentis firmis adduximus Superest, ut Lectorem oremus, non secundum rationis ductum, sed Spiritus Sancti lumen, in sacra Scriptura monstratum, iudicare velit. Pergendum autem est, ad
alias residuas cum Adversariis
controversias.

CAPVT VII.

De Prædestinatione Prolegomena.

Hic verò, candide Lector, ultra & supra ea, quæ in præcedentibus blasphemia in Filium Dei, ex Adversariorum dogmate audivimus: pandit se vorago & barathrum Calvinianæ doctrinæ, in quo (si diligenter rem expendas) Deus author peccati statuitur: & ita de Electione ad salutem ab Adversariis docetur, ut, qui huic doctrinæ illorum adhæserit, aut ad desperationem (accedente tentatione) detrudi, aut in Epicurismum prolabi necesse habeat: hincque & occultæ & manifestæ in Deum blasphemix in hominum cordibus exurgant.

Statuunt

Statuunt enim illi, Deum in æterno suo consilio de-
 liberasse, quæ ratione in suis Creaturis, Justitiam pa-
 riter & misericordiam exerendi & exercendi occasio-
 nem capere posset. Decrevisse in hunc finem Deum,
 hominem condere, atque ita eundem condere, ut labi
 non modo ipsum contingere posset, sed, ut laberetur,
ORDINASSE DEUM, ita, ut oportuerit Ada-
 mum, ex illa, non prævisione solummodo, sed ordina-
 tione & destinatione Dei, labi, & in damnationis pe-
 riculum & se & posteros, propter peccatum, conji-
 cere. Decrevisse porro (blasphemant) Deum, lapsum
 genus hominum dividere in duas partes: quarum alte-
 ram, numero pauciores, salvare: alteram, numero
 majorem, in æternum damnare, sicq; in his Justitiæ suæ
 rigorem, in illis misericordiæ suæ gratiam demonstra-
 re & exercere velit. Et, quod ad damnandos, sive re-
 probos: ajunt illos à Deo, nudo & absoluto suo De-
 creto, non solum esse propter peccata inferno destina-
 tos, sed & **AD HOC IPSUM ORDINATOS, UT
 NON CREDANT, NON CONVERTANTUR,**
 & denique, quicquid faciant, & quicquid conen-
 tur, non tamen salvari possint. Et (quod horrendum
 sane) dicunt, hosce homines, à Deo nunquam fuisse di-
 lectos, Deum neq; cupivisse illorum salutem, neq; Filium,
 ut pro ipsis moreretur, misisse, neq; hosce vocare verbo
 Evangelii serio, neq; voluisse, ut in Baptismo regeneren-
 tur, & à Spiritu Sancto renouentur, sed simpliciter, à
 Christo, ab ipsius merito, à vita æterna esse seclusos,
 Dei consilio arcano, **OMNES CAUSAS** (& ita etiam
 illorum incredulitatem, ingratitude & contem-
 ptum erga verbum Dei, & pervicacem impoenitentiam)
 antecedente & antegrediente. Hocq; Dei consilium sive
 decretum, esse occultum & impervestigabile. Quod vero
 ad Electos, sive salvandos; dicunt, illos eodem arcano
 (omnes causas medias salutis, puta, mortem Christi,

*Vide Beza
 prolixam
 Oratorem
 de prædesti-
 natione, ha-
 bitam in
 Colloquio
 Montbelgar-
 denfi.*

annunciationem Evangelii, & Fidem antegrediente) consilio ad salutem esse creatos: & vi hujus arcani consilii eos deduci primo ad agnitionem Christi; deinde & ad perseverantiam; & hisce solis, meritum Christi à Patre paratum, hisce solis vocationem efficacem competere, de hisce SOLIS, omnes universales Evangelii promissiones accipi debere. Hos etiam docent, ita esse Dei decreto IMMUTABILI electos, ut quicquid facinorum & scelerum admittant, tamen necessario in viam redeant, ac fidem & gratiam Dei nunquam amittant, sed tandem salventur. Et hoc est illud arcanum & absolutum, quod illi fingunt, Dei ab æterno, de genere humano, factum decretum.

Hujus impiæ, portentosæ, & blasphemæ doctrinæ, ut refutationem instituamus, totum negotium in sequentes quæstiones distribuemus.

1. Utrum Deus fecerit aliquod TALE ABSOLUTUM Decretum, in quo, nudo & solo proposito sine ullis antecedentibus causis, homines quosdam æternæ damnationi destinaverit.
2. Utrum duplex sit, qua vocantur homines per verbum, vocatio: efficax & inefficax: vera & simulata.
3. Utrum Christus mortuus sit, pro totius generis humani, & ita etiam, pro Reproborum peccatis.
4. Utrum Electi possint excidere gratia Dei.
5. Quænam sint notæ Electorum & Reproborum.

Antequam autem accedamus ad ipsam tractationem, operæ præciû est prius exponere, quomodo in hoc magno mysterio sit procedendum (pro generali instructione) ne vel desperationi, vel Epicurismo ansam præbeamus; sed ita doceamus de Electione & prædestinatione, ut cōsolationem perturbatis conscientiiis non eripiamus.

eripiamus, & interim nemini ad securitatem carnalem, ostium aperiamus. Sunt autem sequentes hæ Regule observandæ.

I.

Sciamus, nihil in hoc occulto mysterio, humanæ ratione fidendum, neq; ab ea petenda principia. Quando enim de Electione loquimur, non est nobis res cum carnalibus consiliis, sed agitur de mysterio abscondito in seculis in Deo: & de gratia, data nobis in Christo, antea temporaria secularia, manifestata autem nunc, per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi. Sicuti hæc dicit Paulus, Ephes. 3. & 2. Tim. 1. loquitur.

II.

Consulamur autem Spiritum sanctum, in sacra Scriptura nobis loquentem, & hoc mysterium explicantem: hic Spiritus nobis potest arcanum hoc pure & sincere tradere. De hoc loquitur Paulus in hac sententiam: LOQUIMUR DEI sapientiam in MYSTERIO, quæ abscondita est, quam PRÆDESTINAVIT DEUS ante secula, in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus seculi cognovit, &c. Et post aliqua: Nobis autem revelavit Deus, PER SPIRITVM SVVM. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Qui enim hominum, quæ sunt hominis, scit, nisi, Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt NEMO COGNOVIT, NISI SPIRITVS DEI, 1. Cor. 2. Ab hoc igitur Spiritu, non Enthusiastice quidem, sed in sacra Scriptura loquente, veritatem discamus.

III.

Semper respiciamus, in perpetuum sacrae Scripturae tenorem, qui non est alius, quam ipsa Scripturae sacrae intentio, videlicet, ad salutem & gloriam nostram, ut proxime citatus locus docuit. Et quod Paulus alibi scribit, QUÆCVNQVE SCRIPTA sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & CONSOLATIONEM Scripturarum SPEM habeamus, Roman 15. Quare, si quis doctri-

N 6

2208

nam de æterna Dei Prædestinatione eo modo proponat, ut vel perturbatæ mentes, ex eo cōsolationem nullam haurire possint, sed potius ad Desperationē illis anxia præbeatur, vel impoenitētes in sua securitate, improbitate & malitia confirmentur, tum nihil certius est, quam quod Articulus de Electione, non ad normam, & juxta voluntatem Dei, sed secundum humanæ rationis cœcum judicium, & ex impulsu, atq; instinctu Diaboli, male & perverse doceatur. Et hæc Regula (ex sacra Scriptura & oraculo Spiritus sancti deprompta) ad Calvinianum dogma applicata, vel unica & sola ad subvertenda omnia impia & blasphema ipsorum de Electione pronūciata sufficere potest. Quid enim quæso homo prophanus & impius (audiens Calvinianum quenquam de absoluto Electionis decreto differentem) aliud cogitare potest, quam hoc: Si Electio facta est ex absoluto Dei Decreto, omnes causas antecedente, frustra certe, qui hoc modo electus non est, audit verbum & utitur Sacramentis, imo ad judicii aggravationem hæc facit, qui in occulto & ignoto illo Decreto electus non est: si econtra, semel electi, non possunt damnari, sed quidcunq; tandem faciant, aliquando, & suo tempore, illuminantur: age, perge (cogitabit homo impius) in tuis sceleribus: si etenim es electus, ea tibi ad salutem obesse non possunt: sin minus, frustra omnem pie vivendi & credendi infumis operam; imo ad gravius judicium tibi vergit, si audieris verbum, si ad tempus credideris. Bonæ igitur te fortunæ committe (dicit) Si electus es, hora vel tandem non emanabit, qua revertaris, interim cuticulam etiam curasti probe. Tentatus vero & imbecillis fidei Christianus, præsertim extreme tentatus, quas quæso alias, sibi fingere potest cogitationes, quam hæc: Ecce (inquiet) audivisti hæctenus verbum Dei, petiisti fidem, magnis suspiriis & ardentissimis precibus sæpissime usus es Sacramentis:

tis:

tis: neq; inde quicquā tibi profecisse videris. Ah, quid hoc aliud, nisi indicium est, te nō esse in numero electorum, sentis nimirum, tibi Christum non esse mortuum, tibi ad salutem non data Sacramenta, neq; ad te pertinere dulcissimas illas universales de gratia Dei promissiones. Quid? nisi quod es in numero illorum, quos Deus in arcano suo consilio dilexit nunquam, quos vatiniano prosequitur odio. Frustra ergo omnia salutis tibi administrantur media, tibi tuiq; similibus à Deo nunquā deputata. Neq; spes esse potest, ex reprobo ut fieri possis electus, Dei decretum & inevitabile & immutabile est simpliciter. Igitur, ad dira tartara, quocunq; me vertam, descendendū mihi: hinc me, neq; sanguis, neq; meritū Christi, in mei nunquā data Redemptionē, eripere poterunt? Proh Deum, quæ hinc multiplices & horrendæ oriuntur desperationes (neq; enim potest, apud Calviniano dogmate imbutos, aliud sequi) quæ occultæ & in ejusmodi hominum cordibus contumeliæ, blasphemiarum & execrationes in Deum? Cur me creasti miserū? cur, si voluisti creare, non potius fecisti pecudem, quam hominem? Quæ extrema (in justissimo scilicet Deo) injustitia, hominē, nondum natum, creare, ut cogatur labi, in lapsu manere & damnari: idq; nudo & solo Dei beneplacito, nulla antegrediente causa? Tene igitur Deum, te justum, misericordem, bonum, Patrem, amplius invocem, qui nullo antecedente meo merito, nudo tuo proposito, me posuisti in ruinā, non diligis, non salvum cupis, Filium non mittis, verbum & Sacramenta ad iudicium mihi concedis, sed & insuper tua simulata vocatione, insultas, & gaudes morte mea? Tene Deum dicam? &c. Non licet mihi (ut parcam infirmioribus) plura ejusmodi adscribere, quamvis me longe execrabiliora audivisse, non ab uno tantum, sed aliquibus personis, Calviniani hoc Prædestinationis veneno infectis, tempore Ministerii mei

mei

mei probe adhuc recorder: & ita audivisse, ut quoties recorder, stantibus comis vox faucibus hæerere posset. Hisce personis aliter mederi, meo ministerio, non potui, quam demonstrando erroris Calviniani fontem, & provocando ad officium Scripturæ, & absolutum hoc Decretum subvertendo. In recensendis hisce fui prolixior, ut sentiant, imo palpent Satanæ ungulas & cornua, in Calviniano de Electione dogmate, omnes boni, quibus mens, oculi, aures, cor, aliquid de sensu communi saltem residuum est. Huc applica [rogo te per viscera Divinæ misericordiæ] applica, inquam, illud Christi, de falsis Prophetis: A fructibus eorum agnosceis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? &c. Matth. 7.

IV.

Quando autem ad nutum Scripturæ de hoc magno & admirando mysterio tractare incipimus, necesse est, metam ut ponamus multitudini quæstiuncularum, quas Scioli, in isthoc Articulo movere solent. Ergo, quousq; Scripturam ducem habemus, hoc est, quatenus ipsa quæstiones proponit & solvit, eo usq; licet nobis eas investigare: reliquas autem quæstiunculas, quarum Scriptura non meminit, à nobis ablegemus, dicentes cum Paulo: O Altitudo divitiarum, sapientiæ & Scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus? &c. Rom. 11. Scientes, Deum nobis omne consilium (Act. 20. de salute nostra aperuisse, quo contentos esse decet. Si autem Dominus opus esse judicasset, ut & reliqua sciremus, utiq; & illa revelasset: Et, quædam in hac vita, tanquam ex parte cognoscimus (Divinæ Sapientiæ reservata) cum autem venerit, quod perfectum est (in altera videlicet vita) evacuabitur, quod ex parte est: & tunc ad plenum cognoscemus. 1. Corinth. 13. Interim nobiscum reputantes illud Pauli, ubi dicit: Quod stultum est Dei (hoc est, ea opera Dei, quæ nobis videntur

videntur

videntur stulta & absurda) sapientius hominibus est, id est, plus habent sapientiæ, quàm suprema hominum sapientia, 1. Cor. 1.

Maximè verò horum vocabulorum (Electionis, Prædestinationis, præordinationis) definitionem, non formemus ex nostræ mentis arbitrario conceptu: quasi quicquid NOS fingeremus, esse aut dici debere Electionem: id ipsum etiam, nec aliter, in Scriptura sacra Electio diceretur. Oportet enim nos linguam Scripturæ sacræ eiusque loquendi modos addiscere, & NOS ILLIS, NON ILLOS NOBIS applicare: nisi falli velimus & fallere. Quando autem nos proferimus Electionis vocabulum, nostro sensu intellectum, & adducimus Scripturam, SVO PROPRIO sensu, Electionem intelligentem, quis non jam videt, quatuor emergere terminos? Id ut caveamus, prius discendū, QUID SCRIPTURA VOCET PRÆDESTINATIONEM, & QUAE AD EAM REQUIRANTUR. Ea de re autem Formula Concordiæ excellenti brevitatè & perspicuitatè sic loquitur.

Non est (inquit illa) Electio seu Ordinatio Dei ad vitam æternam, nudè & in arcano illo cœlesti & imperscrutabili Dei consilio consideranda, quasi ea nihil præterea complectatur, aut ad eam requiratur, aut in ea expendenda meditandum sit, nisi hoc, quod Deus præviderit, quinam aut quotnam homines, saltem sint consecuturi, aut, qui, atque, quàm multi, in æternum sint perituri: aut, quasi Deus militarem quendam delectum instituerit: Hic est salvandus, ille verò damnandus: hic ad finem usque vitæ in fide constans perseverabit, ille verò non perseveraturus est, &c. Sed ad eum modum Divinam Electionem meditari oportet, quemadmodum Dei consilium, propositum & ordinatio, in Christo Iesu (qui est verus ille liber vitæ) per

tae **D**per verbum nobis revelatur. Totam igitur doctrinam, de proposito, consilio, voluntate & ordinatione Dei, (omnia videlicet, quæ ad nostram Redemptionem, Vocationem, Iustificationem & Salutem pertinent) SIMVL mente complectamur. Sic enim Paulus Articulum hunc, in Scriptis suis tractavit & explicavit: (Roman. 8. Eph. 1.) idem fecit Christus in Parabola illa de regiis nuptiis, Matth. 22. Tota igitur Prædestinationis doctrina, in hæc capita redigi potest.

*Hæc capita, solent
alias appellari
ordo Electionis
Requisita*

I. Deus in suo consilio, proposuit, decrevit, atque instituit, ut humanum genus verè redimeretur, atq; cum Deo per Christum reconciliaretur, qui nobis innocentia, atque perfectissima obedientia, passione & morte acerbissima, iustitiam, quæ coram ipso valet, & vitam æternam promeruit.

II. Eiusdem æternum decretum est, quòd Christi meritum, eiusque beneficia per verbum & Sacramenta, nobis offerri, exhiberi & distribui debeant.

III. Decrevit etiam, se Spiritu Sancto suo, per Verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoriæ commendatum, velle in nobis efficacem esse, vel corda ad veram agendam pœnitentiam inflectere, eaque vera fide illuminare.

IV. Illius æternum propositum est, quòd omnes, qui pœnitentiam verè agunt, & Christum fide amplectuntur, iustificare, in gratiam recipere, filios, & hæredes vitæ æternæ adoptare velit.

V. Eiusdem æterna & immota voluntas est, quòd fide iustificatos, in vera charitate sanctificare velit, ut Apostolus testatur, Ephes. 1.

VI. Idem in æterno suo consilio proposuit, se iustificatos, etiam in varia & multiplici ipsorum infirmitate adversus Diabolum, mundum & carnem, defensu-

lenfurum, & in viis suis divinis deducturum, atque
gubernaturum, & si lapsi fuerint, manum suppositu-
rum, ut in cruce atque tentationibus, solidam con-
solationem percipiant, atque ad vitam conserventur.

VII. Illius æternum decretum est, quòd opus
illud bonum, à se in illis inceptum, promoverè, atq;
confirmare, & ad finem usque conservare velit: si mo-
dò verbo ipsius, tanquam scipioni, constanter in-
nitantur, ipsius operam ardentibus precibus implo-
rent, in gratia Dei perseverent, & dona accepta, fide-
liter & benè collocent.

VIII. Ille idem in æterno suo consilio decrevit,
quòd eos, quos elegit, vocavit, iustificavit, in altera æ-
terna illa vita salvos facere, & æterna gloria ornare ve-
lit, &c.

Atque hæc omnia sub hoc articulo complecti de-
bemus: nec quicquam horum omittendum, aut ex-
cludendum est, quando de proposito Dei, Prædestina-
tione & Electione, vel ordinatione ad vitam æternam
agitur. Hucusque Formula Concordiæ.

Firmiter quæ in verbo Dei legimus & audivimus,
credamus, neque in Deo, vel simulationem, vel hypo-
crisis ullam latitare, suspicemur. Verax enim Deus
est, qui nescit mentiri, & veritas ipsa: & qui dolosas
indicat linguas, ipse sine dolo est: & vel dolum, vel
simulationem ullam in Deo statuere, omnibus homi-
nibus piaculum quàm maximum esto.

De voluntate Dei hoc tenendum: eam non nisi
unicam, sempiternam & perpetuam esse: duplici ta-
men respectu, secundum obiectorum duplicitatem,
considerari: ratione videlicet obsequentium Dei vo-
luntati, & ratione eidem resistentium: hoc est, quòd
sicuti Deus credentes in Christum vult salvari, ita in-
credulos & contemptores vult damnari.

Docendi

VI,

VII

Docendi porrò gratia solet voluntas Dei distingui in voluntatem antecedentem & consequentem. Antecedens æquiparatur dilectioni Dei, & est consilium, beneplacitum & Decretum Dei æternum, de omnibus in universum hominibus peccato perditis, per Christum Salvatorē, fide apprehendendum, salvandis. Consequens autem, voluntas Electioni filiorum Dei (proprie sic dicta) æquiparatur, & est consilium seu Decretum Dei æternum, de salvandis credentibus, & damnandis incredulis. Voluntas igitur Antecedens, sive dilectio Dei, est universalis. Voluntas autem Consequens, sive electio, quia fide in Christum limitatur, particularis est. Huius autem Particularitatis causa nō est Deus, sed hominum perversa & prava voluntas, Dei verbum & Evangelium respicientium & contemnentium. Et hæc de Prolegomenis.

CAPVT VIII.

Continens specialem, de Prædestinatione, præmissarū Quæstionum tractationem.

PRIMA QUÆSTIO.

Quandoquidem, totius doctrina adversariorum fundamentum, in absoluto illo, quod supra memoravimus, Decreto, situm est: rectè queritur, utrum Deus unquam

quam fecerit eiusmodi absolutum Decretum, quo, nudo & solo suo proposito, nullis antecedentibus causis, quosdam elegerit, quosdam verò, aeterna damnationi destinaverit. Nos quidem, quod ad electos, illos à Deo ab aeterno, per Filium (mediatè nimirum, non absolutè, aut immediatè) ad aeternam salutem praedestinos esse, nullo suo merito, sed ex mera misericordia Patris in Filio nobis exhibita, quae per fidem in Christum Iesum acquiritur, affirmamus. Econtrà, quod ad reprobos attinet, & causas reprobationis: illas nos non in occulto aliquo & absoluto Dei Decreto, sed in Scriptura, investigandas docemus: neque orthodoxum, sed blasphemum esse dicimus, si quis Reprobationis causas, in Deo potius, quam in hominibus quærere voluerit. Falsum etiam & impium esse asserimus, dicere, Deum in occulto suo Decreto, reprobos dilexisse nunquam, nunquam illos salvos voluisse, nedum, ad eum finem creatos illos esse, ut in impietate innata persevererent, increduli fiant, & damnentur. Econtrà autem docemus, etiam reprobos & damnatos, à Deo,

à Deo, ad salutem (voluntate nimirum Antecedente) conditos & creatos. Deumq; (eadem voluntate) totum genus humanum, nullo hominum excepto, salvum voluisse, & totum genus humanum, si voluntati divinae (credendo in Filium eius) paruisset, salvari potuisse. Quòd vero aliqui damnentur, incredulitatem illorum & perseverantiam in impœnitentia, nõ occultum Dei decretum, in causa esse dicimus. Et huius nostrae doctrinae sana sequentia, ex sacra Scriptura habemus fundamenta.

I. Cùm Scriptura sacra hominis creationem recenset, simul nobis Dei consilium de creando homine (longè autem diversum à fictitio Calviniano decreto) aperit hisce verbis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c. Et: creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, &c. Genes. 1. Item: In die, qua creavit hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, Gen 3. Imago autem Dei, certè non est iniustitia, impietas, impœnitentia, damnatio æterna, sed iustitia, sapientia, beatitudo æterna. In Adamo etiam, tanquam protoplaste, & totius generis humani stirpe, vel in lumbis illius, omnes etiam homines, pii & impii, salvandi & damnandi, ad Dei imaginem fuisse creatos, nemo negare potest. Dum igitur Dei imaginem respicimus, consilium certe creandi hominis se nobis aperit, in quo omnes homines ad vitam æternam (si lapsi non fuissent) creati, & nemo illorum, occulto aliquo decreto ad interitum fuit destinatus, nisi dicere

dicere

dicere velimus, damnationem, desperationem, & interitum, Dei imaginem esse; quod horrendum est de Deo vel cogitare, cum non Dei, sed Satanæ, iustè damnati Spiritus, hæc facies sit & imago.

II. Quale fuit Dei consilium in hominis creatione, tale etiam consilium in lapsi generis humani reparatione, nobis Scriptura proponit, videlicet: **Universale** consilium Dei, de omnibus in univèrsum hominibus, peccato perditis, per Christum Salvatorem, fide apprehendendum salvandis, & universale etiam isthoc Dei esse consilium, sequentia docent.

I. Quia Deus universalem dedit Mediatorem, pro totius Mundi peccatis, 1. Iohan. 2. Et: Sicuti (dicit Paulus) per unius delictum in omnes homines condemnatio, sic & per unius iustitiam in **OMNES HOMINES** iustificatio vitæ. Sicuti enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam, iusti constituentur multi, Rom. 5. Vbi Paulus (more Scripturæ admodum usitato, & ex apodosis præcedentium verborum) vocabulo (Multi) universaliter utitur. Sed de hoc in quæstione tertia plura.

II. Quia Deus vocationem per Evangelium ad agnitionem Christi, voluit esse universalem, quam omnibus prædicari curavit, eo certè proposito, ut omnes crederent.

1. Euntes (mandat Christus suis discipulis) docete **OMNES GENTES**. Matth. 28.
2. Et: Euntes in mundum univèrsum, prædicate Evangelium **OMNI** Creaturæ. Marc. 16.
3. Et Paulus, de vocatione universali dicit: Nunquid non audiverunt? Equidem in **OMNEM TERRAM** exiit sonus eorum (Apostolorum) & in **FINES ORBIS TERRARVM** verba eorum. Rom. 10.

O 2

4. Deus

4. Deus (ait idem Paulus) nunc annunciat (scilicet per nos) hominibus, ut OMNES VBIQUE poenitentiam agant. Actor. 17.

III. Hinc etiam Sacramenta universalia fecit Deus.

1. Baptismum enim Christus vult esse universalem, ubi dicit: docete OMNES gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Matth. 28.

2. Coenam autem Domini omnibus Hominibus ad salutem (modo ea utantur, & rectè utantur) datam verba Christi testantur, ubi dicit: Hic est sanguis meus, qui pro multis (utitur autem vocula, multis universaliter, ut & supra monuimus) effunditur, in Remissionem peccatorum. Matth. 27.

IV. Idem testantur promissiones Evangelii (materia nimirum Evangelicarum concionum) universales: quæ ita in Scriptura proponuntur, ut nullum Absolutum admittant Decretum, in quo Deus absolutè quosdam reiectos voluisset.

1. Sic Deus dilexit MVNDVM (mundi autem vocabulum universale esse, docet cum communis huius vocabuli usus tum etiam, quod Christus loquitur, de Dilectione, quæ in voluntate est antecedenti, ratione cuius, OMNES adhuc fuerunt sub peccato conclusi) Sic inquit Christus: Deus dilexit Mundum, ut daret Filium unigenitum, ut omnis, qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam, Ioan. 3.

2. Venite ad me OMNES, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11.

3. Sanguis Iesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab OMNI peccato, 1. Ioan. 1.

4. Chri-

4. Christus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan. 1.
5. OMNES nos, quasi oves, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem OMNIVM NOSTRORVM, Isa. 53.
6. Christus est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro TOTIVS MVNDI, 1. Ioan. 2.
7. Conclufit Deus OMNES sub incredulitate, ut OMNIVM misereatur, Rom. 11.
8. Deus vult OMNES homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Tim. 2.

Hæc omnia autem non tantum generaliter & universaliter in Scriptura sacra nobis proponuntur, sed (ne effugium quærant sibi, qui universales Propositiones in Particulares convertere volunt) etiam expressam facit mentionem impiorum, damnandorum, impœnitentium, & reproborum, Dei que consilium ita depingit, ut facile appareat, Deum non solum ex absoluto Decreto, ad mortem illos non destinasse, sed neque delectari ipsorum morte & interitu. Cuiusmodi hæc sunt:

I. Vivo ego (nota Dei Iuramentum) dicit Dominus, NOLO MORTEM IMPII, sed ut convertatur impius à via sua, & VIVAT. Convertimini, convertimini, à viis vestris pessimis & quare moriemini domus Israel? Ezech. 33.

II. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat: Ezech. 18.

III. Quare moriemini domus Israel? Quia NOLO mortem MORIENTIS, dicit Dominus: Revertimini, & vivetis: Ibidem.

O 3

IV. Non

IV. Non vult Deus ALIQUOS PERIRE, sed OMNES ad poenitentiam reverti, 2. Pet. 3.

IV.

Idipsum Deus exemplis pereuntium, in Scriptura sacra expressit.

I. Cum Ierusalem & Iudæa tota & delenda & abicienda esset; Christus appropinquans urbi, FLEUIT SUPER ILLAM, dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in HAC die (quasi diceret: Si vel adhuc hodie poenitentiam ageres, salvare te vellem) quæ ad pacem tuam, Luc. 19.

II. Iudam proditorem suum, quoties Christus à damnabili & exitioso instituto revocare nititur? Matthæi 26. Luc. 22.

III. Cainum fratricidam, ipse Deus, ne exitium sibi attrahat, præmonet, viamque monstrat præcavendi scelera. Sed & admissio iam scelere, denuò ipsum facti sui commonefacit; certè eam ob causam, ut Cainus poenitentiam ageret VERAM, & salvaretur, si obsequi voluisset, Gen. 4.

IV. Huc pertinent etiam quæ supra ex Ezechiele Propheta commemorata sunt, Ezech. 18. & 33. Ut & illud Pauli ex Propheta Iesaja (cap. 65.) adductum: Ad Israel dicit Dominus: Tota die EXPANDI MANUS meas, ad populum non credentem, & contradicentem mihi, Rom. 10.

V.

Quando Scriptura de Reprobis loquitur, nullam in Deo, illiusve Decreto absoluto, Reprobationis causam reponit, sed eam refert ad voluntatem Consequentem, hoc est, ad incredulitatem, impoenitentiam, duriciam, & pertinaciam hominum, & contemptum Evangelii, & verbi annunciati.

I. Perditio TVA (id est, ex te) Israel: tantummodo in me auxilium tuum, Ose 13.

II. De

II. De Jerufalem dicit Christus: Jerufalem, Jerufalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & NOLU-
ISTI? Matth. 23.

III. Sic Paulus Judæos propter INCRE DULI-
TATEM fractos afferit, Rom. 11.

IV. Idem causam Reprobationis illorum explicat,
dicens: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem,
evangelizantium bona? SED NON OMNES O-
BEDIUNT EVANGELIO, Rom. 10.

V. Idem Judæis dicit: Vobis oportebat primum lo-
qui verbum Dei: sed QUONIAM REPELLITIS
ILLUD, & INDIGNOS VOS JUDICATIS Æ-
TERNA VITA: Ecce, convertimur ad gentes, Act. 13.

VI. Causam eandem Reprobationis objicit Stepha-
nus Principibus Judæorum: Dura cervice, & incir-
cumcisis cordibus, inquit, & auribus, VOS SEM-
PER SPIRITUIS ANCTO RESISTITIS:
SICUT PATRES VESTRI, ITA & VOS,
Act. 7.

VII. De Pharifæis & Legisperitis legimus, quod
confilium Dei SPREVERINT, adversus semetipfos,
non baptizati à Joanne, Luc. 7.

VIII. Christus in Parabolis suis easdem rejectionis
memorat causas: Verbi Dei auditi negligentem custo-
diam, dilectionem non radicatam, & Mundanarum
voluptatum, & divitiarum sectationem, Luc. 8. Cu-
ram rei familiaris augendæ, liberorum, conjugum, &c.
ampliorem, quam verbi Dei, Luc. 14. Odium, persecu-
tionem, & tyrannidem adversus Evangelion, Mat-
thæi. 22.

IX. Hoc est (dicit Filius Dei) Judicium, quia Lux
venit in Mundum, & dilexerant homines magis tene-
bras, quam lucem, Joan. 3.

X. Sic Paulus dicit, multos ab Antichristo sedu-
cendos:

cendos: EO QUOD CHARITATEM VERITATIS NON RECEPERUNT, ut salvi fierēt, 2. Thess. 2. Sufficiunt hæc pauca, pro multis.

VI.

Quid, quod ne in gentibus [quæ extra Ecclesiam sunt, sine verbo prædicato] Reprobationis absolutam aliquam, sed determinatam causam, sacrae literæ monstrant?

I. Deus dedit primis Patribus, & eorum posteris, statim ab origine mundi, ante & post diluuium, non eo certe consilio verbum suum, ut vel ipsi, vel posteris, de novo id amitterent, sua socordia, ingratitude, & contemptu, sed potius ut id depositum sacrosanctum ad totam posteritatem, atq; adeo ad omnes homines transmitterent. Non igitur Deo defectus verbi, apud illos infideles populos, sed majorum negligentia, contemptui & ingratitude, & posterorum propriae culpæ tribui debet.

II. Deus, sine testimonio, semetipsum non reliquit, ait Paulus, Actor. 14.

III. Quod notum est Dei, manifestum est in illis (gentibus) Deus enim illis manifestavit, &c. Cur autem damnentur, subjungitur: Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c. Rom. 1.

IV. Deus cultum suum illustravit, in Monarchiis veteris Testamenti, ut fama Dei Israelis longe lateq; spargeretur: sicuti ex historia Danielis, cap. 4. patet. Ut & educio ex Ægypto in toto terrarum orbe incla-ruit. In novo autem testamento, in universo mundo Evangelion prædicatum est. Ita, ut de Apostolis, David vaticinatus fuerit: Non sunt loquelæ, neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum, Psal. 19.

V. Hodierno die non est angulus in mundo, in quo non etiam de Christo audiatur. Christiani enim per universum orbem, partim liberi, partim captivi (sub Turcico, Persico, Tartarico Regno) sparsi reperiuntur: ut,

ut,

ut, qui modo velit, possit doctrinam de Christo cognoscere. Et, si,

*Impiger extremos currit Mercator ad Indos.,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:*

cur non pari diligentia, qui terrarum peragant orbem, divitiarum transitoriarum acquirendarum causa, de salute animæ, & cognitione Dei, æque sollicitos se præbent?

Denique, si respiciamus Dei naturam, dum justus, VII.
verax, bonus, misericors est, non possumus in Deo fingere tale aliquod absolutum Calvinianum Decretum, nisi velimus Deum verum transformare in mendacem: candidum in subdolum & hypocritam: sincerum in fallacem, & deniq; incidere in horrendas & blasphemias de Deo absurditates, quæ necessario ad Adversariorum doctrinam sequuntur. Harum autem blasphemiarum absurditatum aliquas hoc consilio huc annotabimus, ut pius Lector, vel in fine (quod ajunt) videat, cujus Toni: hoc est, Satanæ furores execrabiles, sub Calviniano Prædestinationis dogmate latitare, ut anguem sub herba, dum tempus est absconditum, fugere & cavere sciat. Sunt autem hæ absurditates.

I. Deus (utcumq; adversarii sese torqueant) certe peccati constituitur author, utpote, qui hominem (Adamum) in id creaverit, **UT OPORTUERIT** (Bezæ hæc verba sunt) **EUM LABI**: & maximam generis humani partem ad hoc suo absoluto Decreto, **ORDINET & DESTINET**, ut sint impii (in hunc finem enim Adversarii allegant locum, Prover. 16.) pœnitentiam non agant, sed damnentur.

II. Injustus, hoc Calviniano dogmate, Deus fingitur, qui nulla, Decreto suum antecedente causa, Adamum creaverit talem, **UT OPORTUERIT** eum

O s

labi:

labi: & porro absoluto hoc ipso Decreto, in arcano suo consilio, miseros homines, Creaturas suas, nihil adhuc boni, aut mali meritas, nudo suo proposito damnationi destinet. Idq; ad declarandam suam (ut illi ajunt) **IUSTITIAM**, cum tamen in hac ipsa justitiæ, quam comminiscuntur, declaratione, grandior injustitia Deo impingi non possit. Hoc scilicet est, per injustitiam, declarare justitiam, sive, si mavis, carbone dealbare pannos.

III. Mendax, imo **PERIURUS**, Calviniano isthoc dogmate, statuetur Deus, dum jurejurando quidem affirmat, nolle se morientis mortem, cum interim salvare illum nunquam, & ne semel quidem, in arcano illo (scilicet) suo Decreto, vel cupiverit, vel constituerit. Quis autem vir bonus, nedum Deus, veritas, hoc de se dici sustineret?

IV. Hypocrita etiam, falsarius, subdolos, & simulator constitueretur Deus: qui quidem verbis salutem promitteret, nosq; ad suam invitaret gratiam: occulte autem & in recessu cordis sui nihil horum serio ageret: quin & potius contrarium in nobis urgeret & operaretur. Lachrymæ quoq; Iesu Christi, Filii Dei, in Crocodyli lachrymas, ab hisce hominibus convertuntur, dum quidem externo corporis gestu, Christus cōmiserationem cum pereuntibus fingat, interim eos noluerit unquam serio converti & salvari.

V. Sic quoque longe & multo angustius, immensa illa Dei misericordia (quæ diluculo innovatur, Thren. 3.) quam justitia Dei patebit: dum misericordia, pauculos quosdam homines complectitur: justitia vero, ultra Satanæ Angelos (in quos vel solos justitiam exercendi materiam uberrimam habet Deus) majorem humani generis partem demergit, & ad tartara detru-
dit. Quod de Dei misericordia (ideo omnes sub peccato

con-

concludente, ut OMNIUM MISEREATUR, Rom. 11.) cogitare, vel dicere, nefas est.

VI. Et, dum Deus, suo BENEPLACITO, & LIBERA VOLUNTATE, homines damnationi destinat, & hanc suam voluntatem exequitur: annon hoc est Deum fingere, ἐπιχαιρέκακον, qui gaudeat hominum interitu? Et, annon hoc (ut dicam, quod res est) Deum est transformare in Satanam?

VII. Hac ratione damnabuntur Reprobi, quia se voluntati Dei (damnatos illos volentis) non opposuerunt: & cum in impietate perseverant, damnantur, eam ob causam, quod voluntati divinæ (destinantis illos ad impietatem & interitum, ut quidem Calvinistæ volunt) obsecundarint. Vbi autem manebit dictum Christi, dicentis: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum: SED QVI FACIT VOLVNTATEM PATRIS MEI, qui in cœlis est, Matth. 7.

VIII. Sic quoq; dum Deus vult impii impietatem, porro corrigendus erit Psalmus quintus, ubi dicit: Non iniquitatem volens, Deus es tu. Et erunt hæc verba respondentia: certe Deus volens iniqui iniquitatem, es tu.

IX. Omnia dicta universalialia (de gratia Dei doctentia) in particularia convertentur. Si ergo porro Adversarii voluerint consolari homines tentatos, & universo particularia illa dicta adducere; tum ex puris particularibus argumentari cogentur. Quod quam sit vitiosum argumentandi genus, vel pueri in Scholis noverunt; interim, in tam ardua salutis causa, anxias mentes ad consequentias ejusmodi falsas & nullas ablegant.

X. Tota sacra Scriptura, & Sacramenta, totumq; Ministerium, cum verbo & absolutione inutilia nobis redduntur: dum & Ministri, & auditores, nunquam
certi

certi esse possunt, ad quos beneficia verbi & Sacramentorum spectent.

XI. Quæ porro desperationes, Epicureismi, & cordis in Deum execrabiles blasphemix sequantur in hominibus, Calviniano dogmate tinctis, id supra, in Prolegomenis, Regula tertia, declaratum est. Qui igitur volet, quæ dicta sunt ibi, huc transferre potest.

Contra inferunt Adversarij.

I. De Iacobo & Esauo, fratribus, Paulus sic dicit: Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum Electionem, propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: major serviet minori. Sicut scriptum est (Malach. 1.) Iacob dilexi: Esau autem odio habui, Rom. 9. Quibus verbis, quid aliud, quam alterum absoluto decreto Dei electum, alterum, eodem reprobatum, vult Paulus dicere?

Respondeo. Magna terminorum in hoc argumento est ambiguitas. 1. Quod ad Iacobum & Esavum: Adversarii simpliciter utriusque personam intelligunt: Paulus autem, Moses, & Malachias, populos ab ipsis descendentes. 2. Quod ad Electionem, de qua mentione duorum horum fratrum, Paulus loquitur: ea ab Adversariis sumitur, pro electione ad vitam æternam, à Paulo, Mose, & Malachia autem, pro electione & prerogativa externæ felicitatis. Ex qua duplici ambiguitate,

biguitate, non quatuor tantum, sed quinque oriuntur termini. Vera autem esse, quæ adduximus, locus allegatus, & in Paulo, & Malachia, & Mose, inspectus, clarissimè docet. Verba Pauli hæc sunt: Non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: **MAIOR SERVIET MINORI.** Quod in posteris Esavi, subactis & tributariis factis fratribus suis, Israelitis, est ad impletum. Malachias sic loquitur: Dilexi vos (Israelitas) dicit Dominus: & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater Esau Iacobi, dicit Dominus, & dilexi Iacob? Esau atem odio habui: (quale autem sit hoc odium, spirituale nimirum, de negata salute, an de negata terrena benedictione, audi) & **POSUI MONTES EIUS IN SOLITUDINEM**, dum videlicet per Nebucadnezar Regem deleti fuerunt Edomitæ. Vbi hic Electio ad salutem? aut Reprobatio ad damnationem? Audiamus & Mosén, in quo **PRIMA** huius argumenti sedes est. Ille sic habet: Dominus Rebeccæ Matriarchæ respondens, ait: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur: **POPVLVSQ; POPVLVM SUPERABIT, & MAIOR SERVIET MINORI.** Quæ sanè verba docent: Oraculum non loqui de Personis (excepto iure primogenituræ) Esavi & Iacobi, sed de eorum posteris: neque de Electione ad salutem vel reprobatione illorum. Certum enim est, & de Israelitis (qui sub nomine Iacobi dicuntur dilecti) multos in æternum damnatos: de posteris autem Esau (qui odio habiti dicuntur) non paucos fuisse salvatos. Loquitur ergo etiam Moses, non de Electione ad salutem, aut odio absoluti Decreti, sed iure primogenituræ, prærogativæ, & excellentiæ terrenorum, & temporalium beneficiorum. 3. Quod autem Paulus hanc historiam in materia de Prædestinatione allegat, id fit per Allegoriam, dum Paulus exter-

nam

nam Esavi reiectionem, ut typum spiritualis Reiectionis, Iudæorum pervicaciam, introducit, Sicuti & (Gal. 4,) ex historia de Agar, ancilla Saræ, typum & Allegoriam consimilem format. Allegorias autem non ulterius, quam ipsa nobis suppeditat Scriptura, extendere licet.

II. Miserebor, cuius miserebor: & misericordiam prestabo, cuius misereor. Hæc verba introducunt absolutam Dei ineligendo voluntatem, & absolutum decretum, Rom. 9.

Respondeo. 1. Quod ad salvandos, nemo negat, Deum ex mera misericordia sua nos salvare, sed non ABSOLUTA misericordia, verum limitata, per fidem in Christum: in quem quicumque credit, hanc misericordiam consequitur. Nulla igitur hic est absoluta misericordia, aut absolutum Decretum. 2. Quod ad Reprobos, quod Deus illis, ex absoluto Decreto, miserere nolit, id nullo modo ex hisce verbis exculpi potest. Quemadmodum enim Misericordia, per quam acceptamur, absoluta non est, sed limitata: ita & reprobatio opposita misericordiae (vi & ratione Oppositorum) non aliter, quam limitatè intelligi debet. Nihil ergo sequitur.

III. Non est (inquit idem Paulus) volentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Ibidem. Ergo statuendum est absolutum Electionis Decretum.

Respondeo. Plus est in Consequent, quàm in Antecedenti. Non enim quicumquam loquitur Paulus de absoluto aliquo decreto, sed hoc vult, nos nostris meritis, & operibus electionem, & salutem nostram promereri non posse: sed eligi & salvari ex sola gratuita divina clementia & misericordia in Christo nobis exhibi-

exhibi-

exhibita: quod nemo ex nostris negat, neque in controversia est.

IV. Dominus dicit Pharaoni: in hoc ipsum excita vi te, ut ostendam in te virtutem meam: Ut annuncietur nomen meum, in universa terra. Ibidem. Fuit ergo Pharaos, absoluto Dei Decreto, ad hoc destinatus, ut obstinatus permaneret in impoenitentia.

Respondeo. 1. Totus contextus (Exod. 9) docet, Deum non loqui de absoluto aliquo Decreto, quo Pharaos ad impoenitentiam fuisset excitatus: sed significare Deum, quomodo incorrigibili ipsius impietate & pervicacia, ad nominis sui gloriam uti noverit. 2. Et quod nullo absoluto Decreto perierit Pharaos: tota docet historia, in qua immanem, & barbaram tyrannidem, erga populum Dei, & contemptum verbi & miraculorum Dei incredibilem exercuisse Pharaonem, constat. Quibus (neque absoluto Decreto, quod per principii petitionem huc inferunt Adversarij) exitium sibi Pharaos attraxisse scribitur.

V. Deus, cui vult, miseretur, & quem vult, indurat: Ibidem.

Respondeo. 1. Quod Paulus dicit: Cui vult: id arripiunt Adversarii, quasi simpliciter, sine ulla antecedente causa, Deus (dilectum militarem faciendo) hunc vellet salvum, illum damnatum. Sic autem Scriptura de voluntate Dei non loquitur sed eam determinat ad Fidem & incredulitatem, & ad poenitentiam, aut impoenitentiam. Sic Patris voluntatem Christo explicante: Hæc est, ait, voluntas eius, qui misit me, ut OMNIS, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, (Ioan. 6.) Et Ioannes testatur, dicens: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam.

tam, sed ira Dei manet super illum, (Ioan. 3.) Dum igitur Scriptura, Dei voluntatem, secundum modum in ea usitatum sumit, Adversarii autem novo, Stoico, Scripturae S. ignoto modo, quatuor oriuntur termini, & nulla huius argumenti est cohaerentia. 2. Deus indurare dicitur homines, non simpliciter & absolute, sed eos, qui verbum pertinaciter respuunt, contemnunt, & blasphemant: in quibus certe nulla absoluta induratio fingi potest.

VI. EGO indurabo (inquit Deus ipse) cor Pharaonis, Exod. 4.

Respondeo. 1. Cum Deus indurare dicitur, iam dictum est, quod non ex absoluto Decreto, sed ex antecedentibus gravissimis causis induret. Deinde, non indurat Deus simpliciter per se, sed per accidens: quem admodum splendor Solis, noctuae visum adimit, non vitio proprio, sed noctuae, & caligantium illius oculorum: vel, cum calx viva per aquam frigidam incalescit, idque non ex natura aquae, quae sua natura frigida est, sed natura calida, in calce viva occulte latitante. Ita Deus dicitur excæcare, vel indurare, non, quod ipse causa sit huius cæcitatibus aut indurationis per se, sed per accidens: causa autem per se, in corrupto homine sita est. Committunt ergo Adversarii fallaciam accidentis. 2. Phrasin hæc Hebræa non significat efficacem aliquam actionem Dei in homine: In Hebræo enim ponitur vocabulum Ahazak in Coniugatione Hiphil, in qua verba potius permissionem, quam actionem transitivam, significant: quale & est illud, Ios. 2. Hahojtem: id est, vivificabitis eas, hoc est, vivere permittetis. 3. Huiusmodi locutiones, Scriptura sacra, per phrasin permissionis interpretatur. Vt, populus meus non audivit vocem meam: DIMIS Igitur eum in pravitate cordis sui, ut eant in consilijs suis (Psal. 81.)

Et:

Et: Deus in præteritis ætatibus, SINEBAT omnes gētes ingredi in viis suis: (Actorum 14.) indurare igitur dicitur etiam Deus, quando impios volentes & repugnantes, in impietate sua relinquit. Dum ergo Adversarii confundunt, indurationem absolutè & effectivè agentem, & indurationem ob præcedentes causas, & permissivè in induratione relinquentem (quarum hæc in Scriptura usitata, illa altera ignota, & in Adversariorum cerebro nata) quatuor oriuntur termini in argumento. 4. Quod hoc loco Deo adscribitur, id cap. 7. sequenti Pharaoni tribuitur, ubi expressè hæc verba leguntur: ET INDURAVIT SE COR PHARAO: sicuti Hebræa lectio habet.

VII. Annon potestatem habet figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ibid. Ergo Deus absoluta voluntate, ex hominibus facit vel electos, vel reprobos.

Respondeo. 1. Paulus hoc vult: nostrum non esse, ut cum Deo exostulemus, sed humiliter verbo ipsius acquiescamus: de absoluto autem Decreto nihil dicit. 2. Similia, à Scriptura sacra adducta, non debent latius diduci, quàm ipsa Scriptura monstrat, & si respōdeant principali parti, sufficit. Nullum enim simile per omnia quadrat. 3. Pars illa similitudinis, qua Deus vasa iræ (sicuti figulus, vasa contumeliæ) ex absoluta voluntate facere diceretur, à Paulo non apponitur, sed eius contrarium, sicuti in sequentis argumenti solutione docebitur.

VIII. Attamen dicuntur reprobi à Paulo, vasa iræ, APTATA (hoc est, eo fine creata) ad interitum? Quod ex absoluto Decreto procedere necesse est.

P

Respon-

Respondeo. Perquam absurdum est hoc argumentum. 1. Si enim concederemus, à Deo ad iram vasa illa parata esse: nondum tamen sequeretur inde, quòd tales ABSOLVTO Detreto, & nullis antecedentibus causis (sicuti & de induratione supra dictum) fecerit. Et sic plus est in Consequenti, quàm in Antecedenti. 2. Paulus vocabulum Medium (κατηρητισμένα) (parata) ponit sine casu absolute, neque addit, ἔπὸ τῶ Θεῶ: ideoque fallacia secundum quid committitur. 3. Sequentia verba, horum priorum declarativa, captiosè ad Adversariis obmittuntur, hæc nimirum: Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, SVSTINVIT IN MVLTATA PATIENTIA vasa iræ, aptata ad interitum, &c. Quibus verbis expressè Deo tribuitur patientia, qua vasa iræ tolleret: ea autem, si Deus in finem iræ creasset, quid opus esset patientia Dei, ad tollerandum ea? 3. Si Deus vasa iræ, non ut simpliciter Creaturas, sed ut vasa iræ creat, tum manifestè Deus author peccati statuitur.

IX. Electio consequuta est (quod Israel quaerebat) cæteri sunt excæcati. Ergò excæcatio facta ex absoluto Decreto, est causa incredulitatis Iudæorum.

Respondeo. 1. Si concederemus, Deum EX ABSOLVTO DECRETO excæcasse Iudæos, & hac excæcatione, causam incredulitati eorum dedisse: quis, quæso, non quam iustissimè inde inferret, Deum & incredulitatis & peccati authorem? 2. Quod excæcatio facta non fit absoluto Decreto, non modo ex supra allegatis nostris argumentis (de Iudæorum pervicacia, qua sibi indurationis & reprobationis pœnam attraxerunt) palàm est: sed & verba Pauli sequentia, ex Psalm. 36. allegata

gata

gata docent : Vbi Paulus dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, &c. Qui ergo excæcationis huius causas scrutari cupit, integrum legat illum Psalmum, & inveniet horrendissima Iudæorum peccata, in Filium Dei commissa : & quam liquidissimè apparebit, Iudæos non absolute, sed gravissimis de causis antecedentibus, à Deo fuisse reprobatos & excæcatos, vel, eisdem Spiritum sanctum subtractos.

X. De excæcatione Iudæorum dicit Ioannes: Quòd non crediderint in Iesum, ut sermo Iesaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit Dominus: quis credit auditui nostro? &c. Propterea (dicit Ioannes) non poterant credere, quia iterum dixit Iesaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos, Ioan. 12.

Respondeo. 1. Excæcatos Iudæos concedimus: quòd autem Adversarii inde inferunt, ex absoluto Dei Decreto excæcatos: in eo & fallaciam petitionis principii committunt, & plus colligunt in consequenti, quàm antecedens largiri possit. Et satis superque cognitum est, Iudæos pervicacia, contemptu & reiectione Messia, excæcationis poenam commeruisse iustam, sicuti supra aliquoties declaratum est. 2. Quòd ad voculas illas (VT. QVIA, PROPTEREA) ex hoc loco non sunt causales, sed simpliciter impletionem prævisæ Iudæorum cæcitatatis enarrant: eo nimirum sensu, quasi Iohannes diceret: Neminem inde offendi debere, quod videat Iesum à Iudæis contemni & reprobari, quasi propterea, quod S V I ipsum non recipiant, pro Messia non sit habendus. Prædixisse enim Iesaiam, tempore adventus Christi, adeò deploratum fore Iudæorum statum, ut merè carnalia cogitantes, Christum,

R a

Christum.

Christum, spiritualia adferentem, pro nullo sint reputaturi, sed contempturi: cum contemptum autem ex cæcationem iustam sequuturam. Quod cum in Iudæis impleri videamus, potius in argumentum hoc trahendum, quod Iesus sit Christus, quàm, ut propter Iudæorum incredulitatem offendiculum pati debeamus.

§. Horum verborum optimus interpres est Christus ipse, qui eundem locum (Matth. 13.) allegat, hisce verbis: Incrassatum est cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos CLAUSERUNT, ne quando videant oculis, &c. Hic certè Christus culpam confert in Iudæos, qui SPONTE oculos clauserint pertinaciter & contumaciter; iustè ergo secuta est finalis induratio & excæcatio, nullo absoluto decreto, sed ex antecedentibus causis.

XI. In magna domo, non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed quædam lignea & fictilia: quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, 2. Tim. 2. Ergo Deus absoluto Decreto, quædam etiam vasa contumelie præparat.

Respondeo: 1. Plus est in Consequenti, quàm in Antecedenti. Non enim sequitur amplius, quàm in Ecclesia pariter pios & impios permixtos esse, quod in controversia non est positum. Impios autem (contumelie vasa) A DEO, & quidem ABSOLVTO Decreto, AD HOC esse paratos, de hoc ne gry quidem.

2. Non autem esse absoluto, & immutabili decreto Calviniano (quale nimirum fingunt Adversarii) vasa illa ad contumeliam parata, verba Pauli sequentia evincunt, ubi dicit: Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad omne bonum opus paratum. Quæ verba, quia
Adversa-

Adversarii subticere solent, fallaciam divisionis committunt.

XII. *Univerſa (ait Salomon) propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum, Prov. 16. Ergo Deus impios creat ad damnationem.*

Reſpondeo. 1. Duæ ſunt diverſiſſimæ Propoſitiones, cum dicitur, Deum impietate impiorum, ad nominis ſui gloriam ſcire uti; & cum dicitur, Deum impietatem impii velle, & eum ad impiè agendum creare. Quorum illud ſapientiæ Dei, hoc poſterius abſolutæ voluntatis eſſet: & prius quidem Salomon affirmat, de poſteriore autem dicit nihil. 2. Distinguendum eſt inter opus Dei, & opus Diaboli in impio homine. Quòd enim vitam habet, corpus & animam, quin & dona quædam (non ſanctificantia) impius; hoc Dei eſt opus: quòd autem impius eſt, & donis Dei ad ſcelera, flagitia, & Dei contemptum abutitur, hoc Satanæ, non Dei eſt opus. Deus creat primario fine, ut audiat impius verbum Dei, convertatur & ſalvetur: Satan verò ſeducit impium, ut damnetur: damnatione autem ex antecedentibus cauſis juſtè irroganda impio, Deus novit uti ad gloriam ſuam. 3. Porro, videant Adverſarii (ſi hunc locum explicare velint, quaſi Deus impium, ut impium crearet) qua ratione ſe liberare velint, vel à Flaccianiſmo vel Manichæiſmo, quo Deum peccati authorem faciunt.

XIII. *Chriſtus ipſe dicit: Pater, confiteor tibi, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelavi ea parvulis, Matth. 11. Ergo Pater cæleſtis abſcondendo non vult omnes acceptare Evangelion, ſed aliquos tantum.*

Respondeo : Quòd Deus verbum & agnitionem Christi abscondit à prudentibus, non fit ex absoluto decreto : sed, quia sapientes huius Mundi derident Evangelion, stultitiam illud reputantes, sicuti de hac re Paulus (1. Corinth. 1. 2.) docet, & Atheniensium exemplum probat, Actor. 17. Nullum igitur inde absolutum decretum exculpi potest.

XIV. Sed addit Christus : Ita Pater : quoniam sic placitum fuit ante te. Videtur ergo sapientium incredulitatem, Patris beneplacito Christus adscribere.

Respondeo. Sicuti in præcedenti argumento Beneplacitum Dei nimirum non esse simpliciter, ut sapientes Mundi non convertantur (alioquin, neque Nicodemus, neque Dionysius Areopagita potuissent converti) sed placuit Deo, per stultam prædicationem salvos facere credentes (1. Cor. 1.) Huic beneplacito, qui obsequuntur, salvantur, qui autem dementati humana sapientia & Philosophia, Christo cedere, & rationem suam captivare recusant, in hoc ipso (causa antecedente, neque absoluto aliquo Decreto) absconsionem Evangelii & excæcationem promerentur.

XV. Crediderunt (ait Lucas in Actis) quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Act. 13. Ergo, reliquos Deus non ordinavit ad vitam, sed absolutè reiecit.

Respondeo. 1. Qualem Scriptura sacra ordinationem ad vitam æternam intelligat & doceat, non videlicet per decretum absolutum, sed in Christo limitatum, ordinationem nimirum, omnes causas primas, intermedias & postremas salutis nostræ, simul completentem, id capite præcedente (regula, 5.) nervosè ex sacra Scriptura deductum est. Quæ, cum sit diversa ab

ea absoluta, quam in hoc textu quærunt Adversarii, necessario quatuor emergunt termini in hoc argumento. Si autem ordinationis vocabulum, secundum usitatum Scripturæ significationem accipiatur, nihil amplius est periculi ab hoc argumento: neq; tenemur dicta Scripturæ ad mentem Adversariorum, sed ad mentem ipsius Scripturæ (semetipsam cōmodissime interpretantis) explicare.

XVI. Abscondita sunt, quæ ad pacem tuam faciunt, dicit Christus de civitate Ierusalem, Luc. 19. Apparet igitur, Deum, qui abscondit, nolle, ut convertantur.

Respondeo: Textus totus & integer docet ideo (nota hoc (I D E O) tanquam causam antecedentem) abscondita esse, quæ ad pacem spectant, ab oculis Judæorum: **QUIA TEMPUS VISITATIONIS SUÆ NON COGNOVERINT.** Nullum ergo absolutum sequitur decretum ex hoc argumento: Fallaciam autem compositionis & divisionis committunt Adversarii, dum verba, quæ absconditionis causas exprimunt, à verbis sui argumenti, diripiunt.

XVII. Non rogo pro Mundo, dicit Christus, Ioan. 17. Non igitur voluit eos, de quibus loquitur, salvari.

Respondeo. 1. Loquitur Christus de mundo hoc in loco. quatenus pro mundo intelligit homines mundanos, & mundano more affectos, hoc est, verbi & ipsius Christi pertinaces contemptores: qui ob hunc cōtemptum dati sunt in sensum reprobum, partim etiam in Spiritū sanctum peccarunt, pro quibus non esse orandū, Joannes docet (Epistola 1. cap. 5.) Nullius igitur absoluti decreti hoc in loco fit mentio. 2. Quod voluntate an-

tecedente, Deus etiam horum hominum salutem voluerit, id supra in recitatione nostrorum argumentorum, est declaratum.

XVIII. In Apocalipsi, vocantur Reprobi, non inscripti in libro vitae, & constitutione mundi. Apoc. 17.

Respondeo. 1. Non sequitur, quia A C O N S T I T U T I O N E M U N D I, non sint inscripti Reprobi, libro vitae, quod propterea absoluto decreto, ex illo libro aut expuncti, aut nunquam in illo inscripti fuerint. Deo enim ab aeterno praesens & cognita fuit illorum impietas, & in impietate & impoenitentia, pervicax perseverantia: ideoque a Deo in libri vitae conscriptione praeteriti sunt. 2. Quod autem urgent, in aeternitate ante mundi constitutionem impios non fuisse scriptos, & exinde evincere conantur, conscriptionem libri vitae, omnes causas antegressam, ad id respondemus. Ratione temporis praecessisse conscriptionem omnes causas, sed non ratione Ordinis. Etsi enim in Deo, non datur prius & posterius temporis (aeternus namque est Deus) non tamen prius & posterius O R D I N I S negari potest: ratione cujus, impietas, contemptus verbi & impoenitentia, antegredientes sunt causae, quare reprobi in librum vitae non sint inscripti.

XIX. Epistola Iudae de reprobis dicit, quod O L I M praescripti sint, in hoc iudicium. Destinati sunt ergo ad interitum.

Respondeo. 1. Liber non est Canonicus, non igitur ad fidei dogmata confirmanda valere potest. 2. Neque dicit Judas ille (quiscunque fuerit) quod fatali praescriptione, ad damnationis iudicium deputati fuerint: sed dicit: a Prophetis dudum & ante haec tempora scriptum esse, venturos in postremo seculo homines, qui sibi
tale

tale iudicium sint attracturi. 3. Et adducit rationem sequentibus hisce verbis, dum dicit, illos Dei nostri gratiam transferre in luxuriam, & solum Dominum nostrum Jesum Christum negare. Habes hic causas refectionis diserte positas, quæ nullum admittunt absolutum decretum.

XX. Deus est agens liberrimum: non igitur in reprobatione hominum, ad certas causas est alligandus.

Respondeo. 1. Est sane Deus agens liberrimum: sed ad bonum, non ad malum. Non enim Deus iniquitatem volens, est tu, dicit Propheta David, de Deo, Psal. 5. Dum igitur Adversarii Dei libertatem eo extendunt, ut etiam ad malum operetur, ludunt ambiguitate vocabuli (libertatis) ex quo 4. profiliunt termini. 2. Deum facere liberum ad malum operandum, blasphemia est: Deus enim non potest facere, aut parare malum culpæ.

XXI. In Deo non est statuenda voluntatis mutatio: Non enim Deus est ut homo, qui mutetur. Nam. 23. Malach. 3. Sed si DEVS vult impiorum salutem, & tamen damnat eos: voluntatem mutasse dicesur.

Respondeo: Voluntas Dei unica quidem in se, duplicem tamen extra se, ad homines habet respectum: dum quidem vult Deus omnes homines salvari, sed per Christum: Hæc unica est voluntas, ad quam homines se diversimode habent. Alii enim obsequuntur voluntati Dei, in Christum credentes: alii vero Christum respuunt, voluntati Dei se opposcentes, in quibus damnationis causa est, quod voluntati divinæ se non

R 5

confor-

conformarint. Quare nulla in Deo voluntatis mutatio statuitur.

XXII. Salvum velle, & damnatum velle, sunt Contradictoria: Sed hæc duo à Lutheranis, de unis & iisdem reprobis, in Deo statuuntur. Ergo, Contradictoria in Deo statuuntur.

Respondeo. 1. Non sufficit ad contradictionem implicandam, ut duo contraria dicantur DE EODEM, nisi & dicantur RATIONE EJUSDEM, ET RESPECTU EODEM: in Deo autem voluntas de salute impiorum statuitur respectu dilectionis, seu voluntatis Antecedentis, noluntas autem (ut ita dicere liceat) in Deo statuitur, ratione & respectu incredulitatis, impietatis & contemptus verbi divini. Quemadmodum Magistratus, potest omnium suorum subditorum salutem, quam maxime velle, & interim inobedientes punire, neque tamen interim in magistratu contradictoria finguntur. 2. Subalterna non sunt contradictoria. Voluntas autem antecedens & consequens, habent se ad invicem, ut subalternæ (sicuti id in capite præcedente, regula septima videre est) proinde nulla inter utramque implicatur contradictio.

XXIII. Si Deus serio vult omnes homines salvos fieri: cur non omnibus dat fidem?

Respondeo. 1. Quod non omnes habent fidem, culpa non est in Deo, sed in hominibus. De Deo enim dicit Paulus: Deus nunc annunciat hominibus, ut OMNES UBIQUE poenitentiam agant, eo, quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia, per virum, per quem decreverat: FIDEM OFFERENS OMNIBUS, postquam suscitavit eum à mortuis (Act. 17.) 2. Fides à Deo non datur immediate,

diatē, sed mediatē, per Verbum & Sacramenta, per quæ Deus in nobis fidem operatur. Neq; verbum prædicatum est sine Spiritu sancto. Quod ergo fidem multi non assequuntur, non Deo, sed hominibus pravis & perversis est adscribendum, qui vel verbum Dei prorsus non audiunt, officinam Spiritus sancti refugientes, vel oscitanter audiunt, vel cordibus suis hærent in voluptatibus & deliciis, sicuti id Parabolæ Christi (Luc. 14. Matth. 22.) declarant.

XXIV. O Altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus? Rom. 11. Quæ verba occultum aliquod impervestigabile Decretum arguunt?

Respondeo. 1. Non vult Paulus aliud dicere, quam in isthoc mysterio, nostris cogitationibus metā ponendam: & humanum ingenium Dei consilia capere non posse. Sed quid hoc ad absolutum decretum?
2. Incomprehensibile, & absolutum decretum, sunt longe diversa; quorum illud in Dei consilio extra controversiam conceditur, hoc vero probari non potest. Quatuor igitur habet hoc argumentum terminos.

SECUNDA QUÆSTIO.

Quandoquidem adversarii contendunt, Deum, absoluto suo decreto, maximam humani generis partem, ad exitium destinasse, neq; unquã salvari voluisse: interim autē negare non possunt, vocationem esse universalem.

salem.

salem, ex qua facile absolutum Decretum ea
 verti posse vident. Ne autē hic constringantur,
 & blasphemiam suam revocare cogantur,
 mox priorem blasphemiam alia & nova
 sarciant, dum asserunt: vocationem quidem
 esse universalem: duplicem tamen, efficacem
 nimirum, & inefficacem, simulatam & seri-
 am. Et efficaci vocatione, solos vocari electos,
 inefficaci autem reliquos omnes, reprobos,
 dicunt. Nos verò, unicam & uniformem vo-
 cationem agnoscimus, qua Deus serio O-
 MNES vocet ad pœnitentiam, & ad cre-
 dendum Evangelio Christi, neq; quicquam si-
 mulari in divina vocatione agnoscimus: Ad-
 versa autem partis doctrinam, ut impiam
 & blasphemam, damnamus. Idq; hisce ratio-
 nibus.

¶ Quia quando loquitur Scriptura de vocatione, tam
 reproborum, quam salvandorum, ita de ea loquitur,
 ut utrumq; & reprobum & salvandum, una vocatione
 includat.

I. Paulus scribens ad Ephesios, ait: unum corpus
 & unus Spiritus, sicut & vocati estis, IN UNA
 SPE VOCATIONIS vestræ. Unus Dominus,
 una Fides, &c. Ephes. 4. Quod, si aliqui simulata &
 inefficaci vocatione sunt vocati, quomodo parem spem
 habere possunt cum reliquis serio vocatis? Præterea
 loquitur

loquitur Paulus in illa Epistola, non cum SOLA INVISIBILI Ecclesia, quæ cum cœtu Electorum convertitur; sed cum Ecclesia loquitur visibili, in qua boni malis semper sunt permixti; nisi cum Donatistis sentire velint Adversarij. Et tamen Apostolus hos omnes vocatos esse IN VNA SPE VOCATIONIS affirmat.

II. Deus (iterum ait Paulus) nos vocavit, vocatione sancta; non secundum opera nostra, 2. Tim. 1. Quod autem hoc loco non loquatur Paulus, de vocatione ad Ministerium, id totus docet contextus, qui sic habet: Liberavit nos & vocavit, &c. non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna. Quibus verbis clarum fit, Paulum de salute æterna & de Redemptionis articulo, non de ministerio loqui: & etiam verba facere, non tantum de sua & Timothei persona, sed de Christianis in genere, sive de Ecclesia. Quomodo autem vocatio simulata & inefficax possit dici sancta, non videmus, parum enim sanctitatis, in hypocritica simulatione repositum est.

Nisi una & eadem statuatur vocatio, Deus extreme iniustitiæ accusatur: quandoquidem gravissimas poenas illis interminatur, qui vocationem contempserint, (ut quod Coenam suam non sint gustaturi, Lucæ 14. Et, quod ob hunc contemptum in æternum abijciendi) quos certè nullo jure punire ob hoc posset DEVS, cum mens DEI nunquam fuisset illos seriò vocare.

Vocatio ipsa (medium à Deo ad salutem nostram datum) in præsentissimum, & infernale venenum, Calviniana hac doctrina, de inefficaci, & simulata vocatione, convertitur. Et satiùs esset multis modis, vocatum fuisse nunquam, quàm esse vocatum, sed voca-
tione

II.

III.

tione

tionem simulata. Quandoquidem neglecta vocatio & contempta horribilem divini iudicij parit aggravationem: neque tamen (si maxime voluisset miser homo) secundum Calvinianam doctrinam, hanc potuisset vocationem ad suam salutem sibi applicare, neque, si applicare potuisset, utilis aut efficax ei fuisset: utpote, quæ ratione Dei, neque efficax, neque seria fuerat.

IV.

Duplex illa vocatio etiam hoc nomine in Deum contumeliosa est, quod Deo hypocriticam affingit simulationem, qui quidem multis verbis, promissionibus amplissimis, & ex adverso (ne obsequamur) gravissimis comminationibus, plurimos hominum advocaret, maximam tamen horum partem inani fallacia luderet; quasi, quos adventare nunquam voluerat. In bono viro non tolerandum diceremus eiusmodi simulationem: & tamen Deum suum (tanto scilicet honore) Calviniani afficere non dubitant.

V.

Esse autem seriam etiam impiorum vocationem lachrymæ testantur Christi, Luc. 19. Et vox illius, dicentis: Quoties volui ô Ierusalem filios tuos congregare, sicut Gallina pullos suos sub alas, & TV N OLVISTI: Matth. 23.

VI.

Idem testatur Dominus in Iesaiâ: Expandi manus meas tota die, ad populum contumacem, &c. Iesaiâ 65.

VII.

Paulus quoque dicit: Itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo OBSECRANTE, per nos: ROGAMVS pro Christo reconciliemini Deo, 2. Corinth. 5.

Qualem autem, quæso, Deum fingunt nobis Calviniani? Qui, si iuramento se obstringat (Ezech. 33.) non tamen sit habenda fides. Si vocet: nolit te venire, sed pessundatum velit. Cuius obsecrare (externo verbo) intrinsecus sit devovere: cuius rogare, damnare: certe,

certè,

Certè, quod Christus Pharisæis dicit: Vos, qui mali estis, potestis dare bona filiis vestris: Et, quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem, nunquid serpentem porriget ei? Hæc in Deum, qui bonus est, amplius quadrare non poterunt. Calviniani enim talem nobis fingunt Patrem cœlestem, qui manu dextera panem, sinistra verò lapidem: qui manu dextera piscem, serpentem autem sinistra: dextera vocationem ad salutem, sinistra autem æternam damnationem: dextera clementiam: sinistra omnimodam à te aversionem, tibi porrigat. Hoc scilicet, est & honestè de Deo sentire, & loqui; & hominibus Dei *φιλανθρωπία* commendare.

Contrà inferunt Adversarij.

I. Si una & eadem esset, reproborum & electorum vocatio, tum etiam reprobi non converterentur. Sed reprobi non convertuntur. Ergo, non una & eadem, sed duplex est vocatio.

Respondeo. 1. Fallaciam committunt Adversarij, secundum non causam ut causam, vel à causa per accidens. Quod enim reprobi verbo non credunt, neq; convertuntur, id non fit vitio vocationis, sed reproborum qui Spiritui sancto, seriò vocanti obsistunt, & renituntur: Quemadmodum, quod lutum calore Solis non liquefit, quemadmodum cera: non fit hoc solis, sed luti vitio. 2. Hanc rem Paulus ita explicat, ut non in verbum, neque in vocationem, sed in pravitatē humani cordis culpam rejiciat, dicens: Quod si etiam opertum est Evangelion nostrum, in his, qui pereunt, est opertum, **IN QVIBVS DEVS HVIVS SECVLI** (Nota, quod Paulus Satanzæ adscribit, hoc Calviniani
Dea

Deo tribuunt) EXCAECAVIT MENTES INFIDELIVM, ut non fulgeat eis illuminatio (2. Corinth. 4.) Et Christus non in semen verbi Dei, neque in seminantis voluntatem diversam aut duplicem, sed in terram, cultam vel incultam: semen admittentem, aut excludentem, culpam reijcit, Luc. 8.

II. Christus dicit: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Ioan. 6. Ergo duplex est vocatio.

Respondeo. 5. DEVS trahit per verbum, & trahit etiam reprobos: sed si reluctantur trahenti, secundum illud: vos semper RESISTITIS Spiritui sancto, ut Stephanus dicit, (Actor. 7.) Sicuti hunc tractum etiam ad reprobos extendit Christus, ubi regnum Dei assimilat sagenæ missæ in mare, & retibus, quibus pisces boni & mali trahuntur, 2. Deinde Christus dicere vult: conversionem non esse ex nobis, sed ex Deo, in nobis operante, quod nemo nostrum negat: quod si autem inde DVPLICEM inferre velint Adversarij vocationem, plus sanè habent in consequenti, quàm in antecedente: & nihil sequitur.

III. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, Ioan. 6. Ergo reliqui, qui non veniunt, à Patre Christo non sunt dati, neque serio vocati.

Respondeo: 1. Pater dat Filio credentes: non absolute, sed mediate, nimirum per fidem: de ijs loquitur Christus hoc in loco. Quod autem præterea duplex sit vocatio, non sequitur. Non enim Dei vocatio, sed incredulitas hominum, est in causa, quare reliqui Christo nõdentur: non vult enim neque Pater, neque Filius, nisi credentes. Committitur igitur Fallacia à dicto

dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: dari enim Christo Adversarii intelligunt absolute. Ioannes autem mediate per fidem. Et, dum vocationi, diversum illius eventum tanquam causæ, tribuunt, qui tamen fidei, vel incredulitati tribuendus erat: fallacia accedit causarum.

IV. *Christus ipse dicit: Multi Vocati, pauci electi. Quod si pari vocatione & eadem omnes pariter vocarentur, tum dicendum fuisset: Multi vocati, & multi electi: aut, Pauci vocati, & pauci electi. Matthæi 20. & 22.*

Respondeo. 1. Ne ulla quidem syllaba probari potest ex hisce verbis, Christum statuere duplicem vocationem: sed unius & eiusdem, pro varietate obiectorum, diversum & varium eventum. 2. In Parabola (Matth. 22.) Christus expressissimè docet, vocationem ipsam unam & eandem, & seriam in Deo: frustrationem autem vocationis non in vocante, sed in vocatis residere: quod clarius est, quàm ut cludi possit. Verborum igitur (multi vocati, &c.) explicationem, si ex parabola & verbis Christi, venari voluerimus (ut omninò par est, & totus vult contextus) res plana est, & nihil difficultatis habet. 3. Dum autem Adversarii, verba illa (multi vocati, &c.) à parabola coherente & verba explicante, separant, fallacia divisionis committitur.

V. *Audite, inquit Iesaias, audiendo, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggravæ, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & convertatur, Iesaiæ. 6. Hic duplex*

Q

plex

plex vocatio monstratur, pervocationem enim audient Iudaei verbum, sed vult Deus, ut non intelligant, neque per hoc verbum convertantur.

Respondeo. 1. Committitur fallacia causarum: quod enim Iudaei, verbum Evangelii audiendo, non tamen id intellexerunt, eius rei causa non fuit duplex vocatio, quasi Dei voluntas non fuisset, serio illos vocare: sed causa fuit in Iudaeorum pertinacia. Ideoque ubi Christus (Matth. 13.) hunc ipsum locum allegat, dicit: *IPSI (IVDAEI) CLAUSERUNT OCVLOS, &c.* Sicque omnem culpam confert, non in vocationis aliquam diversitatem, sed in obstinata Iudaeorum corda. 2. Dum autem Adversarii, ex eiusmodi dictis, statim dupliciter vocationis inferunt, insuper & petitionis principii fallaciam committunt.

VI. Vobis datum est (dicit Christus discipulis suis) nosse mysteria regni caelorum: illis autem (nimirum reprobis Iudaeis) non est datum, Matth. 13. Ergo dupliciter vocationis introducit.

Respondeo: Plus est in conclusione, quam in praemissis. Distinguit enim Christus Auditores suos, quorum quosdam dociles & bonos, quosdam excaecatos & reprobos esse significat: vitio nimirum proprio. Quod autem vocatio sit duplex, de hoc nihil prorsus dicitur in verbis Christi.

VII. Experientia testatur, duos homines audire verbum equali devotione & diligentia: quorum tamen alterum converti videmus, alterum non. Huius autem rei diversitas, non potest

test

est alteri cuidam causæ, quam vocationis duplici-
tati adscribi. Alter enim efficaci: alter vero in-
efficaci vocatione vocatur.

Respondeo. 1. Cardiognostas esse oportet Calvinianos, qui tam acriter possunt in Auditorum cordibus, æqualem aut inæqualem audiendi diligentiam dignoscere nos sanè fatemur, ignota nobis hominum esse corda, SOLI autem Deo cognita, & ideo, secundum tritum illud dicimus: De ignotis non iudicat Ecclesia. Et præsupponunt Adversarii casum non dabilem: hoc est, quod probare non possunt certis & indubitatis exemplis. Ex quo petitio Principii consequitur. 2. Posito autem, non tamen concesso (Cardiognostæ etenim non sumus) duos pari diligentia audire verbum: non tamen sufficit audire, sed & custodire verbum, & perseverare. Ideoque Christus in Parabola (Luc. 8.) Auditorum & audientium quadruplicem cœtum facit: Primi, sunt illi: qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne, credentes, salvi fiant. Secundi, CVM GAUDIO suscipiunt Verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Tertii, qui audierunt & à sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Quarti, qui in corde bono, & sincero, audientes Verbum RETINENT, & fructum afferunt in patientia. Secundum Calvinianos Doctores, hic non modo duplicem, sed quadruplicem vocationem fingere oporteret. Videmus autem Christum, Cardiognosten, ita de hominum audientium cordibus loqui, ut magnam diligentiam, in audiendo, meditando, & retinendo, diversitatem faciat: Hancque diversitatem, non ipsi vocationi, sed cordibus hominum, tanquam obiectis, aliter atque aliter affectis, adscribat.

VIII. De Herode Rege legimus, quòd Ioannem Baptistam observavit, & audito eo, multa fecerit, & libenter eum audierit, Marc. 6. Neque tamen fuit conversus. Ergò alia vocatione, à vocatione efficaci vocatus fuit.

Respondeo. Quo corde audiverit Herodes Ioannem, notius id est, quàm ut probatione indigeat, nimirum hypocritico corde. Si enim vero corde, & ea, qua par erat, diligentia Ioannem audivit, cur in carcere reliquit, cur caput ei amputari passus est, cur non fratri suo uxorem restituit? Quare & à Christo **VULPES** dicitur, Luc. 13.

IX. Vos non creditis (inquit Christus Iudeis) quia non estis ex ovibus meis, &c. Ioannis 10. Ergò, qui non sunt ex ovibus Christi, in iis vocatio efficax non est.

Respondeo. i. Quòd in illis, qui oves Christi non sunt, vocatio reddatur inefficax, non negamus: duplicem autem propterea fingendam vocationem non sequitur. Quemadmodum una & eadem theriaca, tempore pestis, duobus ægrotis & peste infectis personis administrata, alteram sanat, altera peste pereunte, neque tamen duplex propterea redditur theriaca: differentia autem est in obiectis, in mala constitutione ægrotantium. Ita & de verbo prædicato est iudicandum. Committunt ergo Adversarii fallaciam accidentis.

X. Si statuatur vocatio unica & simplex, tum sequetur, fidem in nostro arbitrio esse sitam. Quod

Quod cum sit absurdum: absurdum est & Antecedens.

Respondeo. Nequaquam hoc sequitur. Deus enim in verbo suo promisit, se per prædicationem Verbi, in cordibus nostris Spiritum sanctum suum efficacem esse velle. Quando igitur obedienter, & debita diligentia audimus verbum, neque Spiritui sancto RESISTIMVS, tum non NOS, sed SPIRITVS sanctus opus suum IN NOBIS inchoat, & fidem excitat. Et sic, non ex nobis, sed ex Spiritu sancto provenit fides: quam non NOS, sed Spiritus ille in nobis excitat.

QVÆSTIO TERTIA.

*V*T Fœcundi solent esse Errores semel admissi, & pertinaciter postea defensi: ita & errores Calviniani, in loco de Prædestinatione, admodum sunt fœcundi, sed malis & putridis fructibus. Non enim sufficit ipsis, absolutum fingere Dei Decretum, quo maxima humani generis pars, nulla alia antecedente causa, nudo & solo Dei Decreto, ad æternam damnationem condita sit & creata. Non sufficit, vocationem facere simulatam, subdolam & hypocriticam: quin & ad ipsius pro peccatis nostris fusi sanguinis

23

Filiæ

Filii Dei extenuationem accedant, dum nimirum & docent, & omni conatu evincere student, CHRISTVM IESVM, non pro omnium hominum peccatis, sed tantum pro aliquorum, videlicet, solorum electorum peccatis mortuum. Et, quod auditu horrendum, dictu vero scelestum & blasphemum, addunt insuper, Deum voluisse nunquam, Filium pro reprobis pati, aut sanguinem & mortem illius, usui & redemptioni illis fieri. Quae quidem adeo horrenda & blasphemata sunt, ut, si vel recitentur solummodo, ipsa enumeratio, in piorum cordibus refutata sint: tamen, quia subinde hoc virus latius spargere, atq; insuper coloribus quasitis, picturare student Adversarij, hoc dogma ex sacra Scriptura refutandum sumamus. Nostra, e contra, pia & orthodoxa doctrina est: Christum Iesum mortuum esse pro totius generis humani, & non tantum pro electorum, sed & pro reproborum, pereuntium & damnatorum OMNIVM, OMNIBVS PECCATIS. Huius nostrae assertionis haec sunt fundamenta.

Quia

Quia universalibus particulis sacra Scriptura utitur, quando loquitur de morte, passione, & sanguine Domini nostri Jesu Christi: & ita utitur, ut omnes homines, Reprobos æque ac Electos, sub illis voculis cōplectatur: ut sunt:

I. CHRISTUS est agnus Dei, qui tollit peccata MUNDI, Joan. 1.

II. Sic Deus dilexit MUNDUM, ut daret (scilicet pro illo ipso Mundo universali) unigenitum Filium suum, ut omnis, qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joan. 3.

III. Christus est PROPITIATIO, non tantum pro NOSTRIS, sed & pro TOTIUS MUNDI peccatis, 1. Joan. 2.

IV. Non veni (dicit Christus) ut judicem Mundum, sed ut salvificem MUNDUM, Joan. 12.

V. OMNES nos, quasi Oves, erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus IN EO iniquitatem OMNIUM NOSTRORUM, Isa. 53.

VI. Sicut per unius delictum in omnes homines cōdemnatio, sic & per unius justitiam IN OMNES HOMINES justificatio VITÆ, Rom. 5.

VII. Sicut in Adam OMNES moriuntur, ita & in Christo OMNES vivificabuntur, 1. Cor. 15.

VIII. Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro OMNIBUS mortuus est Christus, 2. Cor. 5.

IX. JESUS, gratia Dei, pro OMNIBUS gustavit mortem, Heb. 2.

X. JESUS CHRISTUS dedit pretium redemptionis semetipsum PRO OMNIBUS, 1. Tim. 2.

Ne autem voculæ hæc universales, de solis omnibus electis intelligantur: de Reprobis expresse etiam Scri-

ptura dicit, quod Christus etiam pro illis mortuus, & sanguinem suum fuderit, videlicet:

I. De dextero Christianæ libertatis usu, Paulus monet, ne fratres offendamus, dicens: Noli cibo tuo **ILLUM** perdere, pro **QUO CHRISTUS MORTUUS** est, Rom. 14. Hic præsupponit Paulus hominem, qui offendiculo conturbatus, à Christo desciscit, & in æternum perit, nihilominus autem etiam pro **PEREUNTE**, Christum mortuum affirmat.

II. De eadem materia idem alibi dicit: Peribit infirmus in tua scientia frater, **PROPTER QUEM CHRISTUS MORTUUS EST**, 1. Cor. 8.

III. Petrus de falsis Doctoribus dicit, quod negaturi sint eum, qui **EMERIT EOS**, Dominum, 2. Pet. 2.

III.

Probatur etiam, Christum pro Reprobis quoque mortuum, quia illi ad tempus in gratia stantes, iterum gratia excidunt: quod si excidunt gratia, necesse est ipsos aliquando fuisse in gratia. Quod si in gratia fuerunt, certe aliter non, quam per Christum, in gratia fuerunt, & ejus merito participarunt. Sed de hoc argumento, sequenti quæstione, uberius docebitur.

IV.

Ad dogma Adversariorum plurima sequuntur absurda.

I. Desperatio in hominum mentibus oritur, dum nemo certus esse potest, utrum Christus etiam pro ipso sit mortuus, nec ne.

II. Ministerium publicum incertum reddetur, quid & cui prædicandum, cum Ministri æque ac Auditores ignorarent, pro quibus mortuus esset Christus, pro quibus vero non.

Reliqua & plura absurda, vide supra, quæstione hujus capituli prima.

CON-

Contra inferunt Adversarij.

1. *Si Christus pro omnibus esset mortuus, tum etiam omnes justificarentur & salvarentur: sed non omnes justificantur & salvantur. Ergo non pro omnibus mortuus est Christus.*

Respondeo. 1. Quod ad majorem, quæ est hypothetica, ea nullam connexionis habet rationem, & probatione indiget: ideoq; petitio Principii committitur. 2. Quod autem non omnes justificantur & salvantur, non in causa est meritum Christi, quasi non etiam pro illis acquisitum: sed in causa sunt ipsi Reprobi, qui oblatum meritum Christi apprehendere nolunt, sed contemnunt & respuunt. Et, justificationis Actus, non in solo merito Christi, tanquam causa prima absolvitur, sed requiruntur etiam causæ mediæ & Instrumentales, videlicet, Prædicatio, Acceptatio, Fides, &c. in quibus Reprobi deficiunt. Dum igitur Adversarii causas conjunctas separant & divellunt ab invicem, item uni causæ adscribunt, quod alteri erat tribuendum, manifeste fallaciam causarum cõmittunt: ex qua nihil sequitur. Non enim licet sic argumētari. In Justificatione deficiunt apud Reprobos (& quidē propria illorū culpa) causæ mediæ & instrumentales. Ergo, defectus est in causa prima, videlicet, in merito Christi. 3. Dum etiam, causam primam Justificationis, & intermedias confundunt Adversarii, necessario quatuor inde oriuntur termini.

II. *Animam pono (inquit Christus) pro Ovis meis, Ioan. 10. Sed Reprobi, non sunt oves Christi. Igitur pro illis non posuit Christus animam suam.*

Q. 1

Respon-

Respondeo. 1. Plus est in Conclusionem, quam in Præmissis. Non enim sequitur: Christus ponit animam suam pro ovibus, sive pro credentibus. Ergo eam non ponit pro infidelibus etiam. Neq; enim Christus dicit: Pono animam meam TANTUMMODO pro quibus, pro reliquis autem non. 2. Intentio verborum Christi non est, velle definire, pro quibus mori, pro quibus non mori velit: sed intentio est, fidelitatem suam in Pastoris officio declarare: idq; à magnitudine periculi, & à collatione cum Mercenario, quasi diceret Christus: Ejusmodi ego sum Pastor, qui à liberatione ovium mearum, nullo me periculo absterri patiatur, sed vel mortem non reformido.

III. *Salvum faciet populum SUUM (dicit Gabriel de Christo) à peccatis suis, Matth. 1. Ibi Angelus Christum facit Salvatorem populi SUI: sed Reprobi non sunt populus suus.*

Respondeo. 1. Quod per POPULUM SUUM intelligantur credentes in Christum, id nemo negat: quod autem propterea sequatur, pro aliis non esse mortuum Christum, nemo probare potest. Latius enim patet mors Christi, quam salvatio. Mors namq; Christi omnes homines respicit, & ad Redemptionem omnium: interim vero participes redduntur illius, soli credentes, & non etiam Reprobi, non quod pro his Christus non esset mortuus, sed quia Salvatio, non nudo Dei Decreto, sed mediatis causis (ut supra in primi argumenti solutione dictum) absolvitur. 2. Uno contrario positum alterum destruitur: Hæc Regula valet in contrarie oppositis, sed non in subalternis: Ideoq; non sequitur: Christus salvat credentes, Ergo pro Reprobis non est mortuus. Non enim contraria sunt, sed subalterna, cum dico: Christus passus est pro omnium hominum peccatis: Et qui

qui credunt, fide sibi applicant remissionem peccatorum, morte & sanguine Christi paratam.

IV. Ego pro eis (credentibus) me sanctifico, dicit Christus, Ioan. 17. Ergo pro reliquis se non sanctificavit.

Respondeo idem, quod ad præcedens argumentum: quod videlicet non sint contradictorie opposita: Pro omnibus me sanctifico, & pro credentibus me sanctifico. Proinde non sequitur: altero posito, alterum tolli & negari oportere.

Sequuntur Effugia quædam Adversariorum.

I. Scriptura, quando loquitur de merito Christi, utitur vocabulo (Multorum) innuens nimirum, non pro omnibus Christum esse mortuum. Ut: In scientia sua justificavit ipse, servus meus, multos, & iniquitates eorum ipse portabit, Ies. 53. Confirmabit pactum multis, Dan. 9. Sanguis meus effundetur (dicit Christus in Institutione Cœnæ suæ) pro multis, Matth. 26. Marc 14.

Respondeo. 1. Si Scriptura tantum uteretur vocabulo, Multorum, tum prima fronte hoc argumentum aliquid valere videri posset. Scripturam autem non uti TANTUM vocabulo (multi) sed & vocabulis universalibus, id in argumentationibus nostris, hac ipsa quæstione, demonstratum. 2. Scriptura vocabulo (multi) sæpe etiam universaliter utitur, ut multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, (Dan. 12.) OMNES autem resurrecturos, nemo dubitat. Sic & Paulus, pro unis & eisdem Propositionibus (quod ad signa universalis attinet) infert: Per unius Justitiam

iam

tiam IN OMNES homines, justificatio vitæ: Et per unius obedientiam, iusti constituentur MULTI (Rom. 5.) 3. Quod ad allegatum locum Danielis, cap. 9. Non agitur ibi, pro quibus Christus mortuus, aut non mortuus sit: sed tantum vult dicere Propheta, in postremo septennio, ab ascensu Christi in cœlum, multos adhuc Iudæos convertendos esse. Nihil ergo facit ad præsens negotium.

II. *Vocabulum, MUNDI, non semper universaliter significat, ut: Non rogo pro mundo, Joan. 17.*

Respondeo. 1. In hoc loco (Joan. 17.) Mundus non ponitur absolute, sed relate, sumptus videlicet & intellectus respectu credentium: in reliquis autem locis, Ioan. 3. 1. Ioan. 2. absolute ponitur, sine respectu. Quia igitur Adversarii à mundo relate sumpto, ad mundum absolute positum, argumentantur, manifeste apparet, ipsos ambiguitate vocabulorum ludere, & quatuor jungere terminos.

QUARTA QUÆSTIO.

Sicuti Adversarii ferè quævis in Articulo, de Prædestinatione, ex stoicis suis deducunt principis, & fatalia cuncta faciunt, ita etiam de Electis pronunciant: si semel illi sint electi in arcano & absoluto Dei Decreto, hosce homines Dei gratia non amplius excidere, neq; etiam fidem aut Spiritum sanctum amittere posse. Hinc Beza in Mompelgardensi

densi Colloquio ausus fuit pronunciare: Davidem, neque in adulterio aut homicidio Spiritum sanctum, aut fidem amisisse, sed retinuisse. Nos econtra scimus quidem, apud Deum esse certum numerum Electorum, non autem ex absoluto Decreto, sed limitato & mediato (in Christo nimirum, per Fidem) electorum. Ita autem illos esse absolute electos, ut non possint gratia Dei, etiamsi in maximis versarentur sceleribus, iterum excidere & damnari, simpliciter negamus. Statuimus autem, velle Deum per verbum, Sacramenta, & Spiritum sanctum electos suos, usque ad finem conservare: si ipsi non sponte sese à Domino avertant, & Spiritus sancti gubernationem excutiant. Huius nostra doctrina hac habemus fundamenta.

Sicuti Electio absoluta non est (uti supra quaestione prima demonstratum) ita etiam perseverantia, & omnia, quae ad salutem nostram spectant, sunt mediata. Sicuti promissiones aeternae salutis conditiones suas habent.

I. SIVOS MANSERITIS in sermone meo, verè discipuli mei eritis, Ioan. 8. dicit Christus.

II. In te vide Dei bonitatem, dicit Paulus, SI PERMANSERIS in bonitate, alioquin & tu excideris, Rom. 11.

III. Sed

I.

III. Sed & si illi (increduli) **NON PERMANSERINT** in incredulitate, inferentur: Ibidem.

II. V. Qui peccaverit mihi, **DELEBO EVM DE LIBRO MEO**, Exod. 32.

Ad sunt plurima exempla eorum, qui in gratia Dei fuerunt, in fide, in promissione vitae: & tamen per scelera, & peccata, & Spiritum sanctum, & salutem amiserunt.

I. A Saule recessit Spiritus sanctus, & successit spiritus malignus, 1. Sam. 16.

II. Paulus dicit, posse Christianos per ingratitude frangi & abijci, Rom. 11.

III. De Galatis, qui ab initio credebant, seduci autem postea se passi sunt, dicit Paulus **EVA CV AT** I estis à Christo, qui ex Lege iustificamini: Ex **GRATIA EXCIDISTIS**, Gal. 5.

IV. Quidam fidem & bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt: Ergo habuerunt fidem, eam autem iterum amiserunt. 1. Tim. 1.

V. David amisit Spiritum S. ideoque ei pro restitutione illius fuit orandum, Psal. 51.

VI. Simon Magus credidit, sed ex gratia Dei, propter avaritiam excidit, Actor. 8.

III. Sunt & exempla piorum, qui admodum fuerunt in hoc solliciti, ne gratia, in qua steterunt, iterum exciderent. Quæ pia sollicitudo, nisi electi, gratia excidere possent, supervacanea & inanis fuisset.

I. David dicit: Ne proicias me à facie tua, & Spiritum S. tuum ne aufer à me. Redde mihi lætitiā salutaris tui, & Spiritu principali confirma me, Psal. 51.

II. Paulus de semetipso dicit: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, um aliis prædicaverim: ipse **REPROBUS** efficiar, 1. Cor. 9.

Idipsum

Idipsum docent gravissimæ commonefactiones,
& adhortationes in sacra Scriptura, ne Reprobi efficiamur.

IV.

I. Etiam si dixerō IUSTO, quòd vita vivat, & confusus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur, Ezech. 33.

II. Cùm immundus Spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam & ornatã, & tunc vadit, & assumit alios septem Spiritus secum, nequiores se: & ingressi, habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus, Luc. 11.

III. Cum metu & tremore vestram salutem operemini, Phil. 2.

IV. Satagite, ut per bona opera firmam vestram vocationem & electionem faciatis, 2. Pet. 1.

V. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem Redemptionis, Ephes. 4.

VI. Qui se existimat stare, videat, ne cadat, 1. Corinth. 10.

VII. Spiritum nolite extinguere, 1. Thes. 5.

VIII. Si secundum carnem vixeritis, MORIEMINI, Rom. 8.

Absurda adversam sententiam consequentia monstrant nostram, quæ absurdis caret, piam & rectam. Sequuntur autem ad Calvinianum dogma hæc absurda.

V.

I. Omnes adhortationes Scripturæ, omnesque conciones poenitentiales, superflue essent & frustraneæ: **SI ELECTI GRATIA NON POSSUNT EXCIDERE.**

II. Manifestè accusatur Scriptura mendacis, dum contradicit Calviniana doctrina historijs illorum, qui gratia

gratia

gratia Dei exciderunt: sicuti de Saulo, Davide, & Galatis, &c. dictum.

III. Magnam securitatem gignit Adversariorum doctrina. Sic enim, qui semel atque iterum motum sensit Spiritus sancti, aut fidem habuit, non amplius de salute sua erit sollicitus, sed cogitabit: Non possum amplius, quicquid tandem faciam, gratia Dei excidere: frenos itaque carni meae laxabo.

IV. Sic porro ex Oratione Dominica expungenda erit sexta petitio, qua oramus: Ne nos inducas in tentationem. Si enim tentatio non amplius potest nobis ad salutem obesse, quid opus est, oratione tentationes amoliri? Imò quid tandem omninò precibus opus erit?

V. Neque etiam Sacramentis, quibus in gratia Dei conservamur & confirmamur, opus erit, & frustra à Deo erunt instituta: si, qui semel sunt in gratia Dei, excidere ex gratia non amplius possunt?

Contra inferunt Adversarij.

I. Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei, Rom. 11. Ergo, electi gratia Dei excidere non possunt.

Respondeo. Aliud est, cum dicimus, quid Deus, aliud, cum dicimus, quid homo, in perseverantia sua faciat. Nam Deus Dona sua serio offert, neque mutat animum: homo autem potest aut desciscere, aut negligere gratiam oblatam. Ita Paulus hoc loco dicit: quòd Deus vocationem non mutet, modò Iudæi obsequerentur. Voluntas autem Dei limitata est, quod videlicet **CREDENTES** velit salvos facere: hoc Decretum Dei semper manet firmum, neque Deus, sed homines mutantur. Qui ergo ab hoc Decreto recedit, damnatur, neque interim Deus est in causa, sed homo. Fallacia igitur committitur causarum.

II. Ne-

II. *Nemo rapiet oves meas de manu mea, Joan. 10. Ergo, electi non possunt excidere gratia Dei.*

Respondeo. 1. Christus dicit, quid ovibus suis IPSE sit factururus: nos autem loquimur de eo, qualiter se OVES (non ipse Christus) habeant, & utrum in gratia etiam perseverent. Fallacia igitur committitur plurimum interrogationum. 2. Deinde perseverantia in manu Christi, non est absoluta, sed limitata: si nimirum nos faciamus officium, & Spiritui sancto obsequamur, tum nos à Christo non abiectum iri: contra: quando nos Christum negamus, tum & ille nos negabit coram Patre coelesti, Matth. 10.

Calviniani in hac Relatione confundunt inter se terminum, à quo & terminum, ad quem.

III. *Quis separabit nos à charitate Christi? Utc. Rom. 8.*

Respondeo. Paulus loquitur de perseverantia limitata (si nimirum permanerimus in fide, Rom. 11.) Adversarii autem loquuntur de perseverantia absoluta, que hominis nullum habet respectum. Ideoque quatuor sunt huius argumenti termini.

IV. *Ego rogavi pro te, dicit Christus Petro, ne deficiat fides tua. Ergo electi fidem & gratiam Dei amittere non possunt.*

Respondeo. Plus est in Consequente, quam in Antecedente. Non enim plus sequitur, quam perseverantiam non esse in nostra potestate positam, sed esse donum Dei: quod libenter largimur. Aliter autem habet

R

se

se res, quando homo non perseverat: ex se enim potest non perseverare: ex se autem non potest perseverare. Miscent igitur Adversarii ea continuè, quæ de Deo, & quæ de homine in perseverantia dicuntur, cum distincte de utrisque loquendum sit.

*SEQUUNTUR EFFUGIA
quadam Adversariorum.*

I. Qui gratia Dei excidunt, ij nunquam fuerunt verè credentes, aut in gratia Dei stantes.

Respondeo. 1. Hoc est implicare oppositum in Adiecto: quomodo enim possumus dicere, hominem excidere gratia, nisi statuamus, ipsum prius fuisse in gratia? Hoc perinde est, ac si dicas, spoliatum esse hominem, qui ne terencium habuit unquam. Discant ergo prius à pueris in trivio Calviniani, quòd privatio habitum præsupponat. 2. Falsum est, quod inferunt Adversarii, eos, qui damnantur, NVNQVAM verè credidisse. Nam contrarium dicit Christus (Luc. 8.) de his qui pereunt: quod quidam illorum verbum cum gaudio suscipiant, & ad tempus CREDANT: Scimus autem, hominum corda & fidem, notiora Christo Deo vero esse, quam cæcutientibus nostris Adversariis. Ideoque etiam plus Christo, quàm illis Fidei habemus.

III. De Simone Mago, Petrus dicit: Cor tuum non est rectum. Ergo, Simon nunquam credidit, Act. 8.

Respon-

Respondeo: Distingue tempora, & concordabit Scriptura: de tempore enim illo, quo Philippus prædicabat solus adhuc Evangelion in Samaria, dicit Lucas: Simon & ipse credidit. Interlapso autem aliquo temporis spacio, cum nimirum Petrus & Iohannes à reliquis Apostolis in Samariam mitterentur, & Spiritum Sanctum quibusdam credentibus manuum impositione conferrēt: aliter fuit illo tempore affectus, & avaritiæ in corde suo dedit locum, quæ ex CRE-
DENTE fecit hypocritam. Non ergo sequitur: Simon Magus ex credente factus est hypocrita: Ergo nunquam credidit.

III. De seductoribus dicit Iohannes: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, 1. Iohan. 2. His verbis Apostatas negat fuisse, vel ex electorum numero, aut in gratia Dei.

Respondeo. 1. Loquitur Ioannes de hypocritis: Nos autem quærimus iavicem, de stantibus & exi-
dentibus in & à gratia Dei. Ideo, allegatione huius dicti quatuor terminos adducunt Adversarii. 2. Iohannes dicit, Seductores non pertinere ad Ecclesiam; & eos quidem ad tempus latere in Ecclesia, ut putares, pia illos esse membra: successu autem temporis hypocritam suam prodere. Sed quid hoc ad eos, qui
verè crediderunt: & humana infir-
mitate à fide defici-
unt?

R 2

QVIN.

libro
QVINTA **Q**VAESTIO.

Quando de notis Electorum quaeritur, Adversarij, fidem, vel motus Spiritus Sancti, pro SOLA nota habent. Et, nos quidem, esse aliquam NOTARVM electionis, Spiritus Sancti motus, non negamus. Non asserimus autem, quod haec sola sit nota, sed est sententia nostra, vocacionem, auditum verbi, fidem, invocationem Dei, gratiarum actionem, sanctificationem in charitate, patientiam & consolationem in cruce, cum dextro Sacramentorum usu, coniungenda. Idq; has ob causas.

I. Motus Spiritus Sancti & Fides, non sufficiunt: alios tentati homines, qui motus Spiritus Sancti, & fidem interdum & ad tempus, prorsus non, aut certe vix sentiunt, licet electi sint, de sua Electione, in dubitatione & desperatione relinquerentur: quod non est Scripturae intentio, Rom. 15.

II. Qualis est ipsa Electio, tales debent esse notae, nimirum ex Electionis descriptione desumptae. Ad Electionis autem descriptionem, octo requisita pertinere, supra (cap. 7. Regula 5.) clarissime docuimus. In monstrandis igitur notis Electorum, etiam ad illa requisita respiciendum, & siuti ibi omnia illa requisita, in Electionis consideratione mente SIMVL complecten.

etenda : ita & in notis Electionis, ad omnia illa requisita recurrendum.

Sacramenta autem etiam Christiano, pro nota suæ Electionis inservire debere, Sacramentorum docet Natura & Finis : quia in hoc à Deo data & instituta sunt, ut de gratia Dei singulos, quam certissimos reddant. III.

I. Sicuti de Circumcisione docet Paulus, quæ fuit Sacramentum veteris Testamenti ; ubi sic scribit : Abraham accepit signum Circumcisionis, SIGNACV-
LVM iustitiæ fidei, Rom. 4.

II. De Baptismo sic scribit Petrus : Quæ (aqua) etiam nos nunc salvos facit, videlicet, Baptismus, quæ non est depositio sordium carnis, sed STIPVLATIO bonæ conscientiaæ erga Deum, &c. 1. Pet. 3.

III. Ita & sacra Cœna, gratiam Dei in nobis ad salutem æternam confirmat : dum certissimi sumus, nos cum Christo in S. Cœna, in unum corpus, revera (ut ita dicam) coaluisse, & participatione corporis & sanguinis sui æternam nostram salutem obsignatam esse.

Contra inferunt Adversarii.

I. Coacervant Adversarii varia dicta Scriptura, quibus Spiritus Sanctus dicitur arrhabo, signaculum, obsignatio, & quod testetur nostro cum Spiritu, nos Dei filios esse, Rom. 8. Ephes. 1. 4. &c.

R 3

Respon-

Respondeo. 1. Conceditur totum argumentum: videlicet, Spiritum Sanctum esse sigillum Electionis nostræ, sed non SOLI motus Spiritus sunt illud Sigillum & notæ Electorum. 2. Spiritus Sanctus testificationem illam in nobis non operatur modo Enthusiastico, aut Schvvenkfeldiano, sed ad testificationem illam utitur ordinariis suis mediis, videlicet, verbi prædicatione, eiusdem auditu, Fide, Sacramentis, &c. Quæ omnia (quandoquidem Spiritus Sancti testimonium immediatum non est) oportet simul completi, neque ea à testificatione Spiritus Sancti secludere.

CAPVT IX.

De Baptismo.

DE Baptismo quoque Adversarii horrendos & abominandos errores alunt, qui magna ex parte, ex erroribus de Prædestinatione originem trahunt. Quando enim vident, baptizandos esse omnes Christianos: & interim firmum tenent, semel electos, & in gratia Dei constitutos, gratia Dei excidere non amplius posse, mox fingunt, sicuti vocatio apud ipsos (sed falsò) duplex statuitur, ita etiam duplicem, externum aquæ, & internum Spiritus Baptismum esse statuendum. Item, non omnes baptizatos, verè regenerari. Ex Baptismo suscepto, neminem posse de sua regeneratione & salute esse certum: & huiusmodi. Quæ omnia tanquam crassissimi errores & palpabiles, quibus apertè Adversarii ad Anabaptistarum & Schvvenkfeldianorum castra declinant: prolixa refutatione non egent. Breviter igitur illos errores recensebimus, & antidotum ex Dei verbo adiungemus.

I. E. R.

I. E R R O R.

Duplicem faciunt Baptismum Adversarii, exter-
num Aquæ, & internum Spiritus: quod Scripturæ
contrarium est.

I. Ubicunq; enim Scriptura de Baptismo loquitur,
non facit duplicem, sed Aquam & Spiritum conjan-
gere solet, non separare ab invicem.

1. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, re-
gnum Dei non videbit, Joan. 4.

2. Ita Paulus appellat Baptismum, lavacrum re-
generationis, & renovationis SPIRITUS
SANCTI, Tit. 3.

II. Expresse loquitur de uno Baptismo, dicens:
Unum corpus estis (vos membra scilicet Ecclesiæ) &
unus Spiritus, sicut & vocati estis, in una spe voca-
tionis vestræ. Unus Dominus, una Fides, UNUM BA-
PTISMA, Ephes. 4.

Contra inferunt Adversarij.

I. *Si unus esset Baptismus, tum omnes regene-
rarentur in Baptismo: sed non omnes regeneran-
tur. Ergo non unus est Baptismus.*

Respondeo. 1. Fallacia committitur causarum,
si de hypocritis loquantur in Minore Adversarii. Non
enim Baptismus ipse, sed hypocrisis hypocritæ, oblatæ
gratiam respicientis est in causa, quod hypocritæ non re-
generantur. Quemadmodum vinum, ei, qui imbecilli-
tate stomachi laborat, confert, febricitanti non: neque
propterea duplex id ipsum vinum constituitur, con-
ferens & non conferens ad sanitatem: sed unum & idem

R 4

vinum,

vinum, diversum habet respectum, ratione utentium illo: ita & de Baptismo est judicandum. 2. Quod si, (ut solent) Adversarii Minorem ita intelligant, ut sentiant, non tantum hypocritas, sed nec infantes omnes regenerari, negatur minor, & committitur petitio principii: sicuti mox in sequentibus docebitur.

II. De Circumcisione scribit Paulus: Non qui in manifesto Judæus est, neque que in manifesto incarno, est Circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est: & circumcisio cordis, in Spiritu; non litera, Roman. 2. Successit autem Circumcisioni Baptismus. Ideoq; Baptismus etiam erit duplex, Externus & internus.

Respondeo. 1. Principium Adversariorum negatur, illud videlicet, quo putant, de Sacramentis Novi Testamenti esse judicandum, ad normam & Analogiam Sacramentorum Veteris Testamenti, quod negatur. Ita enim est de Sacramentis judicandum, sicuti sacra Scriptura, & institutionis illorum verba docent: & hæc judicandi ratio certissima est & tutissima. 2. Non facit Paulus unam & eandem Circumcisionem duplicem, sed reprimit jactantiam Judæorum, qui Circumcisionem magnifice jactabant, interim nihil homine circumciso dignum faciebant. Quemadmodum hodie objicere possemus, Christiano impie viventi, & dicere: Tu jactas te Filium Dei factum esse in Baptismo, & interim te filiis Dei ipso opere non conformas. Nihil ergo sequitur.

II. ER.

II. ERROR.

Afferunt quoq; Adversarii, non omnes baptisatos neq; statim in Baptismo regenerari. Quod falsum est, & sacrae Scripturae contrarium.

I. Quicumque (dicit Paulus) baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ipsius baptizati sumus, Rom. 6.

II. QUICUNQUE IN Christum baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3.

III. ERROR.

Statuunt etiam, Baptismum non conferre gratiam, sed tantum acceptam gratiam obsignare. Cui affirmato sequentia Scripturae dicta adversantur.

I. Deus SALVOS nos fecit per lavacrum Regenerationis, &c. Tit. 3.

II. In diluvio (ait Petrus) octo tantum animae servatae sunt, PER AQUAM, QUAE ETIAM NOS NUNC SALVOS FACIT, BAPTISMUS, qui figurae illi respondet, 1. Pet. 3.

III. Christus MUNDAT Ecclesiam, lavacro AQUAE, in verbo, dicit Paulus, Ephes. 5.

Sunt & alii quidam illorum Errores, qui manifeste cum Anabaptistarum erroribus conveniunt. Ne autem unam & eandem rem bis agere oporteat, suo tempore, gratiam largiente Domino, in refutatione Anabaptismi illos errores refutabimus. Potest pius Lector, CLARISSIMIS nunc allegatis dictis Scripturae contentus esse: ea enim ejus sunt firmitatis, ut à nullo

R 5

Adver-

Adversariorum, quantumvis magno conatu, labefactari queant.

CONCLUSIO.

PRO Cōclusionē breviter placuit, quasi sub Epilogo, majorem partem Adversariorum Mathæologiæ repetere, quo candidus & pius Lector, quasi in Tabella videat, quid post se relinquat Calviniana Theologia.

I. Si Deus (ajunt) omnes suæ divinæ Omnipotentia nervos intendat; non tamen efficere potest, ut unum & idem corpus in pluribus, quam in uno sit loco.

II. Non vere & realiter de Christo dici posse, quod Homo sit Deus: imo naturam divinam cum humana nihil realiter communicare. Ex quo sequitur, nudum hominem, non Dominum gloriæ, pro nobis crucifixum: nudi nos hominis, non Dei, aut Filii Dei sanguine redemptos esse. Væ ergo nostræ redemptioni.

III. Deum absoluto suo Decreto, nullis antegredientibus causis maximam generis humani partem damnationi destinasse.

IV. Deum velle mortem morientis.

V. Deum non dilexisse Mundum, vel impios.

VI. Deum, licet juramento affirmantem, non loqui serio, quod noluerit mortem morientis.

VII. Christus

- VII. Christum non esse mortuum pro omnium hominum peccatis.
- VIII. Deum nolle, ut sanguis Jesu Christi pro omnibus effundatur.
- IX. Dum multos homines vocare, sed non serio.
- X. Deum multis curare, ut prædicetur Evangelion, non ut salvi fiant, sed ut gravius damnentur.
- XI. Qui semel electus, cum gratia Dei excidere nunquam posse: econtra, qui reprobus, cum salvari non posse, utcunq; conetur & appetat salutem.
- XII. Davidem in ipso adulterio & homicidio, neque fidem, neq; Spiritum sanctum amisisse.
- XIII. Ex Baptismo suo, neminem posse esse de salute sua certum.
- XIV. Non omnes homines in Baptismo regenerari.
- XV. Si Pater infantem baptizari curet: non tamen posse postea certum esse, utrum infans sit libro vitæ inscriptus. Et hac ratione, si baptizatus infans, in infantia sua decedat, de salute ejus dubitandum esset.
- XVI. Universales propositiones, esse restringendas, ad solos electos, & in consolandis infirmis PROBABILITER eos de promissionibus illis instruendos. Neq; aliter, quam ex puris particularibus argumenta consolationis procedere posse. Et hujus farinae plura sese quotidie offerunt.

NOTA.

Cogitet autem quisvis pius & candidus Lector, quam lethale venenum Satan sub dogmate Calviniano hominibus ingerat, quo universus prope Christianismus

nismus evertitur, Christum Mediatorem extenuat, & gloriam divinam humanæ naturæ ita detrahit, ut (si vera dicerent Calviniani) sanguis Christi nobis non plus, quam sanguis Adami in innocentiaæ statu, prodesse potuisset: quandoquidem realiter Deum dici negant. Annon hoc est talem fingere Christum, in quo omnis nostra spes nobis eriperetur? Ad Prædestinationis doctrinam, quando pervenitur; Deus bone, quot horrendæ blasphemiaæ? Ibi Deus fingitur prima interitus & damnationis causa: hic recensetur absolutum & occultum Decretum, in quo de salute tua nunquam certus esse potes. Nescis, utrū reprobus, an electus sis. Nescis, utrum Deus serio te ad salutem, an vero simulate ad iudicii gravitatem vocet, externo Ministerio. Si ad verbum confugere velis, omnes universales promissiones incertæ redduntur, transmutantur in particulares, ut longe, quam antea reddaris incertior. Si Baptismi aliquam consolationem petas, incertum ajunt esse, utrum regeneratus, & utrum tantum aquæ Baptismo sis baptizatus. Si ad Coenam Domini confugas, Christum inde auferunt, Coenam vacuum corpore & sanguine Christi substituunt. In summa, omnia Christianæ salutis principia convellunt, & nihil, quod ad consolationem facere posset, integrum relinquunt.

Romanus equidem Antichristus Ecclesiæ faciem misere deformavit: non autem meliorem se gerit Spiritus Calvinisticus, & in quibusdam etiam Papam superat. Conspurcavit quidem Romanus Pontifex Baptismum, suis humanis inventis Ceremoniis: Baptismi autem substantiam & effectum non negavit: Utramq; Calviniani tollunt. Meritum Christi humanis conspurcavit Papa, operibus & satisfactionibus: Calviniani ejus effectum & intentionem erga maxi-

man

nam humani generis partem tollunt. Coenam Domini Papa convertit in Missam, & mutilavit: Calviniani prorsus evacuant. Certat nobiscum Romanus Pontifex, de authoritate Scripturæ: Calviniani eam ita deformant, ut, si Papa eam admitteret, nihil tamen (modo Calviniano explicata) consolationis tibi adferret. Dubitare jubet Papa de salute: Calviniani potius desperare jubent, quoties nos ad occultum suum & absolutum Electionis Decretum remittunt. Spem facit morientibus Papa purgatorij, ex quo liberandi sint: Calviniani absoluto suo Decreto, morientem certum reddere non possunt, utrum sit electus: & per consequens: qui electus non est, damnatur. Vbi, quamdiu Minister Calvinianus moribundum hominem de Electione sua certum non potest reddere, tam diu horrenda tartara, & Cerbereos latratus ipsi prædicat: ita, ut satius esset tacuisse, quam desperationem suâ doctrinâ adauxisse. Summatim, ut concludam, dici & verbis exprimi non potest, quid Satanas ruinæ moliat in Ecclesia, Calviniano dogmate. Rogo autem & seriò unumquemvis, per Dei gloriam & misericordiam, & propriam, cuiusque salutem obtestor, in memoriam revocent illud CHRISTI, de falsis Doctoribus cavendis dictum: A fructibus eorum agnosce eos. Vbi fructus nihil aliud sunt, quam pravæ, impiæ, blasphemæ & desperabundæ consequentiæ, quæ ad falsam doctrinam consequuntur. Horum fructuum fertilissimum (proh dolor) inveniet Calvinianum dogma, omnis, qui in timore Domini diligentèr doctrinam illam cum Scriptura sacra contulerit.

Admonitos etiam volo juniores Theologiæ Studiosos, ut sibi a Calviniano caveant veneno: illi præsertim, qui cum ad discendam Philosophiam admit-

tuntur.

tuntur, exercendi ingenij & discendæ methodi causa: ita Philosophiæ totos sese tradunt, ut ad Theologiam accidentes spiritualia carnaliter & philosophicè iudicanda æstiment, hincque facilimè in Calvinismum delabantur. Non equidem philosophiam sperno (nam ut fatear, & ego illa delector) moneo autem, ut suo loco & gradu quævis disciplina permaneat, & relinquatur, neque Philosophia famula Theologiæ Dominæ suæ, tanquam Agar Saræ, imperiosè insultet. Sed si in Theologia Philosophiam contradicere sentiamus: Agar illam cum filio suo, & malis consequentijs, aut eijciamus, aut in obsequiũ Christi captivemus. Quod non dubito ipsum Aristotelem, si Christianus factus fuisset, facturũ fuisse. Non enim immemor fuisset suarum Regularum, quibus disciplinarum & earundem principiorum confusionem prohibuit. Cogitasset etiam, cuius artificij in sua arte credendum: ideoque & Spiritui sancto & Apostolis credendum, licet verba illorum cum Philosophia non congruant. Habent ingenia feliciora, quibus philosophandi expleant studium in ipsa Philosophia: sed ubi ad Theologiam ventum est, Philosophia secedat, & locum det Spiritui sancto: ipsa autem famuletur Theologiæ: & sobrius eiusmodi Philosophiæ usus, non contemnendam utilitatem, in docendo & disputando conferret. Methodum enim docendi & disputandi, nervosè & perspicuè docet: ita tamen, ut de materia Philosophiæ nihil accedat, docendi forma & Methodus retineatur, sicq; nihil periculi erit Theologiæ studiosis, à Calviniano fermento, vel potius veneno.

Deus Optimus Maximus clementer suam defendat Ecclesiam ab eiusmodi (quales sunt Calviniani) Lupis rapacibus: obsistat ipsorum conatibus: largiatur pios Magistratus, qui zelum habeant pro Domino, suscitet Spiritui suo pios Ministros, qui eos obtundant

tundant contradicentibus: omnibus autem nobis, ut
in agnita veritate perseveremus: &, quod ad meam
personam, largiatur etiam mihi, servorum suorum
minimo Spiritui sui sancti munera & dona, ut ta-
lentulum meum, ad gloriam Dei, & Ecclesiæ suæ, mei-
que salutem, collocare queam. Amen, per Iesum
Christum, Filium eius unigenitum, de cuius
gloria agitur, cum Patre Spiritu san-
cto, Deum verum & uni-
sum, Amen.

F I N I S .



CONCERNING

THE STATE OF THE
UNION OF GREAT BRITAIN
AND IRELAND
IN PARLIAMENT ASSEMBLED
DO ENACT
That the said
Act in that behalf made
shall have full force and effect
as if the same had been
enacted by the said
Parliament
IN WITNESS WHEREOF
We have hereunto set our hands
and the Great Seal of Great Britain
at Westminster the
fourth day of
August 1801

FINIS



Ther. ev.
pol 1007 m

